



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1525. usque ad annum 1529

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1769

VD18 90118480

Liber CXXXI.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66472](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66472)



HISTORIÆ
ECCLESIASTICÆ
LIBER CXXXI.

CLEMENS VII. PAPA.
CAROLUS V. OCCIDENTIS
IMPERATOR.

§. I.

*Papa datis literis contra Carolum V.
conquestus.*

Interea Papam inter & Cæsarem diffi- Sæc. XVI.
dia continuo fervebant, nec proxi- A C 1527.
mæ reconciliationis spes affulgebat. Guicci. l. 18.
Jam anno præcedenti Clemens binas ad Pallav. hist.
Cæsarem dedit epistolas, in quibus Conc. Trid.
M 2 gravi- l. 2. c. 13.

Sæcul. XVI.
A.C. 1527.

graviter de eo questus est, & quidem in prima exprobravit Cæsari, quod Ecclesiæ ditiones & bona usurparet, pacta a Sacra Sede cum Lanoyo inita adimplere renueret, & in Hispania æque ac in Neapolis Regno leges Romanæ Ecclesiæ noxias promulgaret, ac denique Borbonii Ducem cum exercitu in Italiam misisset, ibidemque novas belli flammæ accendisset. Præmissis hisce querelis Pontifex aut pacem sub honestis conditionibus, aut summam indignationem suam Cæsari proposuit. In altera Clementis epistola, quæ moderato magis calamo exarrata erat, Papa ab omni objurgatione abstinens necessitatem exposuit foederis, quod cum Angliæ & Franciæ Regibus atque Venetis inerat.

„ Tuo jam, subjungit Papa, arbitrio relinquimus, utrum huic armorum societati & ipsus accedere velis, quod fane consilium rebus tuis abs dubio fat propitium erit, mediumque certum, quo pacem Italiæ reddere, & temetipsum multis tumultibus expeditere poteris, quos tamen ægre declinabis, si ad alia consilia animum adjicias. „

§. II.

Sæc. XVI.
A.C. 1527.*Responsum Cæsaris ad querelas
Papæ.*

Cæsar responsum ambabus Papæ literis valde appositum reddidit. In prima tamen epistola verbis admodum acerbis respondit, in altera vero longe humanioribus terminis usus est. *Vestræ Sanctitatis literæ*, inquiebat Cæsar, *nostræ ac nostrorum causæ accerrimam damnationem præseferunt, quæ profecto nostræ in Apostolicam Sedem filiali observantiæ convenire non videntur, quinimo ab eo affectus & studio, quo Christianam Rempublicam semper complexi fuimus, ac illius incrementum pro viribus procuravimus, profus aliena censentur. Nonne Galliarum Rex Sanctitatis vestræ impulsu, & suâsu de ipso novo fœdere ineundo sollicitabatur. Nominavimus equidem illustrem Borbonii Ducem, in eum Mediolanensis Ducatus investituram conferre parati, sed hunc ipsum Ducatum per nos recuperatum, quem licite retinere poterimus, tot titulis, totque juri- bus fulti eidem concessimus. Franciscus vero Sfortia in eodem Ducatu nullum jus potest prætere, cum immemor beneficii in eum collati plura cum Gallis hostibus in Sacri Imperii dedecus, & detrimentum molitus sit, ex cujus feloniam, si quod jus in ea-*

Guicc. *ibid.*

Sæcul. XVI. dem Statu habuisset, ad Sacrum imperium
 A. C. 1527. devolvebatur. Nihilominus tamen pro Rei-
 publicæ quiete ex nostra mera liberalitate
 consensimus, eundem Sfortiam tanto munere
 dignum facere, eidemque Ducatus investitu-
 ram concedere. Nunc vero non tanta caus-
 sa doloris Vestræ Sanctitati parata videtur,
 si Dominus vasallum ingratum & læsæ Ma-
 jestatis reum puniendum censeat. His
 præmissis subjunxit Imperator, quod le-
 ges, de quibus Papa queritur, eo dun-
 taxat fine condidisset, ut jus patronatus
 sibi ab Adriano VI. concessum tueretur,
 nec tamen inde querendi causam ha-
 beret Papa; si enim, prosequitur Carolus,
 eam ad rem recte advertat Sanctitas vestra,
 comperiet, quod ea Imperio regnisque no-
 stris plusquam ex ceterorum omnium Re-
 gnis ac Dominiis simul junctis lucri & com-
 modi Sedi Apostolicæ accedat; qualia au-
 tem sint ea lucra, ex centum illis grava-
 minibus Nationis Germanicæ colligi poterit:
 quibus tamen ex ea devotione, & observan-
 tia, qua semper Apostolicæ Sedi affecti su-
 mus, nusquam aures præstare curavimus,
 nec his animum adjicere. Si igitur Vestra
 Sanctitas consulere intendit publicæ quieti,
 deponat arma, quod & nos facturi sumus.
 Si vero Sanctitas vestra arma contra nos
 continuaret, & illorum depositioni non con-
 sentiret, cum tunc non Patris, sed partis,
 non Pastoris, sed invasoris officium assu-
 meret,

meret, pro nostra justificatione, & innocentia, omnia hucusque gesta ad sacri generalis Concilii cognitionem & iudicium remittimus. Nos enim cum ex his, aliisque sat notoriis causis turbari videamus Ecclesiae statum, ipsum Sacrum universale Concilium implorandum censemus.

Sæcul. XVI.
A.C. 1527.

In altera epistola Cæsar majori moderatione usus Papam obtestatur, ut Christiani populi calamitatibus prospiciat, nos enim, inquit Carolus, ipsum Deum testamur, pro virili semper conaturos esse, ut & Sanctitas vestra, ceterique Christiani Principes intelligant, nihil æque nobis cordi esse, quam Dei gloriam, ejusque populi salutem, pacem, & tranquillitatem ferventiori studio in dies stabilire.

§. III.

Cæsar datis ad Cardinales literis conquestus de Pontifice.

Interjectis aliquot diebus Cæsar ad Cardinalium Senatum dedit literas, quibus suas querendi rationes exposuit, ac dissidii causas in Pontificem coniecit, eo quod fœdere cum Gallis inito pacem stabilitam turbasset, cum tamen, inquit Imperator, nullum unquam Cæsarem nec Principem fuisse profiteamur, qui majori (ne tanta quidem) fide, ac observantia sanctam Sedem Apostolicam veneratus, ac cete-

Sæcul. XVI. ris posthabitis majori studio ejus dignitatem
 I. C. 1527. tutatus sit; atque ideo importunas Germani-
 cæ preces contra oppressiones, quas a Sede
 Romana pati, cum in Wormatiensi conven-
 tu essemus, passim conquerebantur, obturatis
 auribus pro innata nostra erga Aposto-
 licam Sedem observantia audivimus. Spi-
 rensem etiam congregationem gravissimis
 pœnis prohibuimus; verebamur enim, ne hu-
 jusmodi conciliabulum Germaniam a Roma-
 ni Pontificis obedientia diverteret; Germa-
 nis tamen polliciti sumus, quanto citius fie-
 ri posset, generalis Concilii indictionem fie-
 ri curaturos. Hac de re ad Pontificem scri-
 psimus, qui tamen generalis Concilii petiti-
 onem in tempus magis conveniens differendam
 censuit. Si igitur Papa votis nostris in in-
 dictione Concilii generalis annuere nega-
 verit, tunc sacrum vestrum collegiumhorta-
 mur, ut Papa negante, aut plus æquo dif-
 ferente, vos debito ordine procedentes illius
 indictionem non differatis, protestantes, si quid
 inde incommodi, ac detrimenti Romanæ Ec-
 clesiæ, & Reipublicæ Christianæ accesserit,
 id non nostra, sed vestra culpa futurum. Si
 vero vos æquissima hujusmodi postulata no-
 stra concedere negaveritis, nos pro nostra er-
 ga Deum gratitudine proque dignitate no-
 stra Imperiali, quibus licebit remediis, ita in
 his pro viribus, providere curabimus, ut Chri-
 stianæ Reipublicæ salutis, paci, & tranquil-
 litati nullo modo defuisse videamur. Dese-
 reban-

rebantur hæ literæ non modo ad summum Pontificem, sed etiam ad ipsos Cardinales exeunte Mense Decembri; ast per illas nec mutata fuit rerum facies, nec Pontifex adhucdum flecti poterat.

Sæcul. XVI.

A.C. 1527.

§. IV.

*Papa Venetique a Franciæ & Angliæ
Regibus delusi.*

Ceterum Imperator bellum contra Venetos adoriebatur, spe fretus, quod Franciscus I. validum exercitum submitteret, & Angliæ Rex irruptione in Belgium facta vel hostem alio diverteret, vel saltem pro more suo ad belli sumptus pecuniarum subsidia suppeditaret; quippe Anglus in præcedentibus bellis tanta facilitate aurum opemque præstabat, ut Fœderati, quamvis nec sancita pace nec factis induciis Angliæ Regis commoda procurare studerent, nihilominus in ejus pecuniis velut in certo auxilio fiduciam suam reponerent. Attamen mutata temporis, rerumque vicissitudine Henricus propriæ experientiæ magisterio sapere incæpit, nec ultra aliorum compendia cum proprii æris damno promoveri statuit; accessit etiam, quod ærario Patris sui penitus exhausto, non

M 5

nisi

Sæcul. XVI. nifi ægre admodum a suo Senatu sub-
 A. C 1527. dia impetrare possent. Cum igitur Fran-
 corum Rex Henricum ad opem feren-
 dam haud amplius, ut olim, adeo pro-
 pensum cerneret, arctiorum cum eo ami-
 citiam contrahere differebat, donec de
 ejusdem suppetiis certus esset. Haud
 equidem Franciscum latebat, quod Hen-
 ricus remissiori, quam antea studio
 Cæsari faveret, hoc tamen nondum suf-
 ficere ratus, eundem quoque Italico
 foederi adscribere statuit; sat enim per-
 spectum habebat, quod sine Angliæ Re-
 gis subsidio Franciæ Regnum, cum ta-
 men pecuniis, milite & Belliducibus
 exhaustum esset, toti expensarum mo-
 li succumbere cogeretur. Hac ratione
 permotus Gallorum Rex, futuri foederis
 metum Cæsari inspirare, eumque eo
 inducere nitebatur, ut portionem, quæ
 tantumdem ac Burgundia valeret, sibi
 a Gallis oblatam acceptaret. Interea
 vero Franciscus bellum in Italia con-
 tinuo urgeri satagebat, donec Caro-
 lus Imperator vel ejus consiliis ac-
 quiesceret, vel Anglorum Rex Gallorum
 studiis penitus sese devoveret.

§. V.

Sæcul. XVI.
A.C. 1527.*Pontificis inquietudo ob utriusque Regis tergiversationem.*

Franciscus hac spe fretus, studiose promissorum amplitudine Papam, Venetosque fascinabat, ne diuturnioris moræ tædio affecti a fœdere resilirent. Verum ad exequendum ejusmodi consilium Regi dexteritas defuit; quippe ad firmandum hoc fœdus, cujus tamen ipse auctor, caputque extitit, nonnisi paucas admodum copias ductore Salutarum Marchione suppeditabat. Quocirca tam Galli, quam Angli Regis cunctatio non parum turbabat Pontificis animum, simulque Henricum, ut Ecclesiæ defensionem in se susciperet, vehementer stimulabat: sed nonnisi responsum generalibus verbis conceptum tulit; aliunde vero immodicæ prorsus expensæ, quibus ferendis impar erat, Papam in extremas conjiciebant angustias. Equidem indolem a Medicæis, ex quorum prosapia ortum duxerat, valde diversam habebat; illius enim Majores, nullo excepto, extra modum, ac privatorum conditionem magnificentia & sumptu prodibant, suaque pompa Florentinis quoque non raro invidiam inspirabant: Ex adverso Papa
tanto-

Sæc. XVI.
A.C. 1527.

tantopere a profusioribus expensis abhorrebat, ut persæpe doleret, quod eo temporis rerumque concursu in Papam fuisset electus, ubi pecunias frequenter mutuas accipere, necessitas urgeret, cum tamen potiozem reddituum partem sibi potius reservare decrevisset. Augebatur vero ejusdem sollicitudo, cum illi onus incumberet, geminum alendi exercitum nonnisi ex alienigenis conflatum, qui ad præfixam horam sua exigebant stipendia, & aliunde sub Ecclesiasticorum imperio militare exosi, facile relictis Papæ vexillis ad Cæsaris castra transire timebantur. Equidem Ecclesiæ ditionibus insolita imponebantur tributa, verum Papæ Ministri seditionem populi pertimescentes, ægre admodum illa exigebant, eaque pendi remissius instabant.

§. VI.

Induciae Pontificis cum Prorege Neapolitano pactæ.

*Mem. du
Bellai l. 3.
Pallav. hist.
Conc. Trid.
l. 2. c. 14.
p. 200.*

Cum vero præter ejusmodi exactio- nes ad prosequendum bellum, aliunde sumptuosissimum Pontifici nil reliquum esset, ideo secreta cum Prorege Neapolitano consilia fovebat. Veneti, quæ clam agerentur, edocti, vero similem inde hauriebant obtentum, ut imposterum

posterum segnius ad arma procurre-
 rent; verebantur enim, ne Pontificis
 mutabilitate eorum conatus successu
 frustrarentur; hanc ob causam ultro
 Mediolanum tueri cessabant, quamvis
 e re sua maxime fuisset, ut Cæsarem ab
 hujus ditionis imperio arcerent. Ur-
 gebat insuper Lanoyus Pontificem, ut
 concordiae pacta iniret; unde Clemens,
 ubi a Borbonii Duce exercitum Roma-
 nae urbi admoveri perceperat, inducias
 acceptavit per Cæsarem Fieramuscam
 Neapolitanum oblatas, qui Proregis ne-
 gotia procurans Papam aliunde sat pro-
 pensum nullo ferme negotio ad sua vo-
 ta inclinabat. Induciarum condiciones
 erant sequentes I. octo mensibus ab
 armis cessabitur. II. Borbonii Ducis
 copiis Papa sexaginta nummum aureo-
 rum millia numerabit, scilicet, infra
 mensem quadraginta, evoluta autem
 octiduo reliquam summæ partem. III.
 Pristinis eorum Dominis omnes red-
 dentur urbes, quæ Sedi Apostolicæ,
 Cæsari, & Columnensibus fuerunt ere-
 ptæ. IV. Cardinalis Columna in di-
 gnitatem, unde decidit, restituetur. V.
 Si Franciæ Rex, Venetique huic fœde-
 ri accesserint, confestim Germani ex I-
 talia discedent, secus autem, Carolus
 Imperator suas copias duntaxat a Pon-
 tificis & Florentinorum ditionibus re-

Sæcul. XVI.
 A.C. 1527.

Sæcul. XVI. A.C. 1527. vocabit. VI. Denique Lanoyus Romanæ urbi appropinquabit, ac Borbonio Duci iter versus Etruriam occludet.

§. VII.

Pontificis copiarum pactis induciis dimissæ.

Guicc. ibid. Promulgatis hisce induciis Papa copiis suis missionem fecit, ac nonnisi duodecimum millia præter centum equites retinuit, classem quoque suam revocavit, atque triremes armorum apparatus spoliari iussit. Idem etiam fecerunt Veneti. Interea vero Valdemontius Comes Lotharingæ Ducis frater ex Andegavensi familia ortus cum Papæ ac Venetorum triremibus jamjam Salernum, ac Surrentum occupaverat, quas tamen urbes rursus relinquere jubebatur, quæ res Valdemontio permoleste accidit, eo potissimum nomine, quod a Neapolitanis magni habitus, facile Andegavensis factionis reliquias ope & consilio redintegrare potuisset. Ceterum improvido prorsus consilio Papa ab armis discesserat, cum nondum explorata haberet Borbonii consilia, qui jam versus Bononiam progressus, tam validum ducebat exercitum, ut præter quingentos cataphractos, duo circiter equi-

equitum millia, & ultra mille Germanos, ac quinque Hispanorum millia recensere; quibus insuper accesserant duo millia peditum Italorum, ac numerosus ejusdem gentis Equitatus levioris armaturæ: Hoc anno Mense Februario hic exercitus Placentia castra movit, ast pecunia, commeatu, curribus, imo & tormentis destitutus, non nisi tributis, quæ Borbonius in itinere urbibus imponebat, alebatur. Unde milites stipendiorum penuria pressi seditionem concitarunt, ac ipsas etiam sarcinas deprædati sunt, quinimo mortem quoque Borbonio minitabantur, nisi eis pro ære militari opimam quamdam urbem deprædandi libertatem ultro daret, qua concessa quidem militum sedata est seditio, ipse tamen Dux Bononiam ingredi prohibebatur, eo quod Salutiarum Marchio urbi duodecim armatorum millia imposuisset. Nec benigniore utebatur fortuna, ubi Florentiam aggredi tentabat.

§. VIII.

Borbonii Dux induciis oblectatus.

Cum Borbonius Florentiæ appropinquaret, inducias fuisse pactas comperit, hoc tamen nuntio minime teritus illis accedere constanter renuit, eo quod

Sæcul. XVI.

A.C. 1527.

Sæc. XVI.
A.C. 1527.

eoquod promissa pecuniarum summa ad solvenda militibus stipendia haud sufficeret. Hanc ob rem Neapolis Prorex, qui tum Romæ agebat, Florentiam contendit, a quodam Belliduce, quem Dux eo decreverat, ideo exceptus, ut cum eo hac super re conferret. Intenderat Prorex Borbonium ad acceptandas inducias compellere, eo potissimum ex fine, ut postmodum cum Cæsaris exercitu in Venetorum ditionem irrumperet; Jam utrinque conventum, ut Borbonius evolutis quinque diebus pedem referret, eidem vero mox octingenta, proximo autem Mense Majo alia sexaginta aureorum millia numerarentur. Pontifex has condiciones a Borbonio acceptatum iri confisus, duobus etiam illis, quæ prius retinuerat, armatorum millibus missionem fecit, ut sumptibus in eorum sustentationem faciendis parceret.

§. IX.

Borbonius copiis suis Romanæ Urbis deprædationem pollicitus.

*Mem du
Bellai l. 3.
Paul. Jov.
de expugn.
Romæ.*

Attamen Borbonii Dux summo Pontifici turpiter illudit, Romamque infestis armis invadere statuit, ut urbem hanc amplissimam juxta ac opulentissimam

mam militum suorum deprædationi re-
 linqueret. Suggesterat primus audax
 hoc consilium Georgius Fronsbergius,
 qui Cæsaris nomine Archiducis copiis
 imperabat, atque Anno Christi millesi-
 mo quingentesimo vigesimo sexto pro-
 priis suis impensis copias conscribebat
 præter illas, quas nomine Cæsaris du-
 cebat, ex quibus ferme duodeviginti
 millium exercitum conflavit, & Mense O-
 ctobri Romam contendit.

Sæcul. XVI.
 A. C. 1527.

§. X.

*Georgii Fronsbergii Comitis
 obitus.*

Verum vix Fronsbergius Ferrariam
 attigerat, cum ibidem hoc anno
 Mense Martio apoplexia tactus obiret.
 Tam præclari Belliducis jacturam Bor-
 bonius, qui jamjam Ferrariæ agebat, ve-
 hementer planxit, adeo tamen pro-
 pterea a suscepto consilio non destitit, ut
 etiam Fronsbergii copiis suas jungens,
 totius exercitus imperium in se suscipe-
 ret, ac superatis Aretinis montibus mi-
 lites suos habita oratione alloquere-
 tur, declarans, eos ad subigendam Ro-
 manam urbem esse profectos. Ingens
 erat totius exercitus lætitia, quam opi-
 mæ prædæ spes non parum auxerat.
 Igitur Borbonius in Romandiolam ef-
 Hist. Eccles. Tom. XXXV. N fun-

*Sleidan. in
 comm. l. 6.*

Sæcul. XVI. funditur, quam æque ac Bononiam scē-
 A C. 1527. de devastavit, postea vero die quinta
 Aprilis prope Forum Livii castra meta-
 tus est, ubi Meldosam cepit, sibi que ex-
 inde versus Baynucavallum viam ape-
 ruit, ac sprete pluviarum injuria, &
 fluminum exundatione per hanc val-
 lem, indeque ad aliam prope Arnum
 progressus, Apennini Alpes superavit,
 quicquid vero hoc in itinere obviam ha-
 buit, ferro flammaque vastavit, ac lon-
 ga castrorum serie Aretinos agros e-
 mensus est, inde autem die vigesima
 sexta Aprilis profectus, Romam contē-
 dit, ubi etiam versus quartam diei ho-
 ram vespertinam die quinta Maji ad-
 venit.

§. XI.

Borbonii Dux Romam aggressus.

Eodem die Borbonius simulato itinere
 versus Neapolin Fecialem ad Papam,
 qui transitum per Romanam urbem pete-
 ret, decrevit: cum autem repulsam ferret,
 congregatis præcipuis Belliducibus hæc
 exposuit: „Nunc opportunum adspirat
 „ tempus, ut fractas reficiatis vires a
 „ laboribus, quos ante Romanæ urbis
 „ conspectum exantlastis; nullum jam
 „ deliberandi spacium superest, aut mo-
 „ ri, aut Romam vi capere oportet,
 „ verum

*Sleid. in
 com. l. 6.*

p. 179.

*Cochl. in act.
 & script.*

Luth. ann.

1527. p. 166.

„ ri, aut Romam vi capere oportet,

„ verum

„ verum macti virtute estote; quippe Sæcul. XVI.
 „ vobis non nisi cum viris effæminatis A.C. 1527.
 „ dimicandum, qui voluptatibus im-
 „ mersi, animo rerumque experientia
 „ destituuntur, nilque de Romanorum
 „ fortitudine præter nudum nomen,
 „ quod & ipsum ignavia sua commacu-
 „ lant, reliquum habent; nunc vero in
 „ fortitudinis vestræ præmium vobis
 „ victoria paratur, totiusque urbis divi-
 „ tiæ offeruntur. „ Hac oratione Du-
 ces æque ac milites ad expeditionem
 fuere animati, unde postera die Dux o-
 riente luce exercitum suum favente
 densissima nebula suburbio, ubi tem-
 plum S. Spiritus situm est, admovit.

§. XII.

Irruptio in urbem facta.

Post hæc Borbonius urbis loca minus
 munita, murosque depressiores so-
 lenter explorabat, atque ita aciem dis-
 ponebat, ut uno tempore trinum in ur-
 bem impetum faceret; quippe Hispani
 a porta Torrione usque ad montem
 Vaticanum, qui Ecclesiam S. Spiritus
 spectat, Germanorum vero potissimi pau-
 lo inferius ad radices hujus montis
 versus meridiem sese extendentes bi-
 nam aggressionem facere jubebantur.
 Tertiam denique oppugnationem par-

Sæcul. XVI. A.C 1527. tim Germani, partim Itali in monte Janiculo prope portam S. Pancratii urbi inferebant. Admoventur itaque mœnibus scalæ circa horam diei sextam eodem tempore, quo caligo, quam effuderant montes, proximum quemque, etsi quarto duntaxat passu distaret, conspici prohibuit.

§. XIII.

Borbonius in Urbis invasione occisus.

*Paul. Jov.
de expugn.
Roma.
Guicciard.*

Romani urbem invicta prorsus virtute tuebantur, nec faustis primis obsessorum auspiciis defuit eventus; cum enim Cæsareæ legiones confertæ, & quasi cohærentes starent, tormenta, quæ ex arce S. Angeli explodebantur, ingentem eis stragem inferebant; insuper Rentius Ceres, cui præcipua urbis propagandæ cura erat commissa, præter recens conscriptos, etiam veteranos milites, numero licet paucos in mœnibus collocabat, qui provolutis ingentibus faxis, trabibusque oppugnatores unacum eorum scalis protriverunt. Accurrerat Borbonius, ut suos animaret, ipsisque viam ad urbem ostenderet, quinimo ipse scalam muro admovens, suos contentiori voce hortabatur, ut & ipsi Ducis sui exemplum sequerentur.

Verum

Verum vix hæc effatus, sclopeto in fe- Sæcul. XVI.
 mur ad inguem ictus in fossam cecidit, A.C.1527.
 atque ad castra delatus ibidem eodem
 ferme momento animam exhallavit,
 ætatis suæ anno trigesimo octavo non-
 dum emenso. Corpus ejus delatum
 fuit Cajetam in Neapolis Regnum, ubi
 hodiedum sepulcralis ejus inscriptio (*)
 Hispano idiomate expressa legitur (**).
 Eodem

(*) Hoc Epitaphium Hispana lingua scri-
 ptum sic sonat: *Francia me diò la leche, Es-*
panna suerte y ventura, Roma me diò la me-
certe, y Gaeta la sepultura, latine vero ita red-
 di posset: *Francia dedit mihi vitam, Hispania*
sortem & fortunam, Roma dedit mortem, &
Cajeta sepulturam.

Aliud insuper latino idiomate exarratum
 legitur hoc tenore:

Aucto imperio, Gallo victo, superata Italia,
Pontifice obseffo, Roma capta, Carolus Borbo-
nus hic jacet.

(**) Singulare est, quod Borbonii morte
 Heuterus lib. 9. c. 7. his verbis refert: *Obve-*
nit illi mortis genus, quod sibi ipsi ante pau-
cos menses fuerat imprecatus. Cum enim Me-
diolanenses miseris suis remedium precarentur,
pollicetur se exercitum Urbe educiturum, si in
spendium triginta millia aureorum nummum
contulissent: quod quamquam exhaustis difficilli-
mum

Sæcul. XVI Eodem fato Borbonii Ducis Armiger
A. C. 1527 Brideus nomine penes Dominum suum
 occubuit. Ceterum Borbonius Patrem
 habuit Gilbertum Montpenserium, qui
 Neapolis Regno pulsus captusque, Pu-
 teoli extremam clausit diem. Anno
 Christi millesimo quingentesimo quinto
 die decima Maji uxorem duxerat Su-
 fannam, quæ unice filia, & hæres Pe-
 tri II. Borbonii Ducis, & Annæ de
 Francia Anno salutis millesimo quin-
 gentesimo vigesimo primo die vigesima
 octava Aprilis vivis erepta est, postquam
 tres filios genuerat, qui tamen omnes
 teneris adhuc annis obierunt, unde Bor-
 bonio Patri nulla proles vita superstes
 relicta fuit.

§. XIV.

*num erat, facturos tamen se recipiant, si non
 ut alias sæpe, fides falleretur. Tum Borbo-
 nius: si id (inquit) fecero, prima peto mihi
 pugna hostilis tormenti globus vitam eripiat.
 Accepta pecunia fidem Mediolanensibus violavit,
 ac prima post id tempus pugna, quæ ad mænia
 Romana fuit edita, tormenti hostilis globo tra-
 jectus occubuit. Confirmat hoc Guicciardinus
 lib. XVII pag. 675. Haraeus ad a. 1527. Bel-
 lajus lib. III. pag. 88.*

§. XIV.

Sæcul. XVI
A.C. 1527.*Romanæ Urbis deprædatio, Papa in
arcem S. Angeli profugus.*

Cæsum Borbonium Princeps Arausi-
cus, qui illius locum tenebat, pal-
lio iussit operiri, ac solerter ejus mor-
tem occultavit, ne milites Ducis sui obi-
tu perterriti ab oppugnatione desiste-
rent; quapropter nonnisi capta urbe il-
lius mors innotuit. Interea vero Arau-
sicus suscepto exercitus Imperio suam,
suorumque avaritiam ut fatiaret, Ro-
manam urbem iterata aggressione inva-
dere præcepit; unde certamine ad duas
horas protracto per illatam muro rui-
nam Cæsarei suburbium intrarunt, nul-
lo ferme obsistente, eoquod Gibellinæ
factionis potissimi sese in ædibus suis
quiete continerent, spe concepta, eos
ea lenitate habendos, quam sub Colum-
nensibus experti fuissent. Ast militum
rabies promiscue in omnes desæviit.
Cum enim Hispanorum nonnulli per
quamdam fenestram, quæ in ædibus
muro vicinis ad explodenda tormenta
deserviebat, penetrarent, mox stricto en-
se plateam obsident, ac soli irruunt in
Rentii Ceris copias, quæ hac ex parte
stationem agentes confestim unacum
Duce suo fuga dilapsæ sunt, quamprimum

N 4 hasce

Sæcul XVI. hasce voces inaudierant: *Vivant Hispani! occidite, jugulate, nemini parcite!* Trucidati fuere ex fugientibus tria ferme millia, & Prætoriana cohors Helvetica, cum furentibus resisteret, ante Pontificis Palatium profligata est. In hoc tumultu summus Pontifex ope adjunctus suorum equitum, quos custodiæ causa penes se habebat, facile per portam Vaticanam proximam fuga sese periculo eripere, atque ad quoddam Ecclesiasticæ conditionis propugnaculum confugere potuisset, verum a Bernardo Pallavicino (*) sese decipi sinebat, qui eidem Auditor erat, ut se in arcem S. Angeli reciperet, ubi etiam cum aliquot Cardinalibus atque Legatis sese inclusit, urbemque omni præsidio destitutam reliquit.

Ciac. in Clem. VII. tom. 3. p. 447.
Duchef. hist. de Clem. VII. p. 390.
Mem. du Bel-lai l. 3.
Mezerai ab-regé chron. t. 4. p. 336.

§. XV.

Hostium sævitia Romæ.

Guice. l. 18.
Pontan. l. 3.
Cæsar. Glorieri de dirapt. urbis.
Cum Romani nonnisi ignava manu hostilibus copiis resisterent, hæ omnem suam crudelitatem eo facilius explebant. Nulla facies mali deerat, & Romani experiebantur, quicquid a furioso ac dissoluto milite, data impune sæviendi libertate, timeri poterat. Diripiun-

(*) Spondanus, & alii hunc vocant *Berardum Patavinum*.

ripiuntur civium aedes, expugnatur vir-
ginum juxta ac Matronarum pudicitia,
res sacrae turpitudine violantur, nec ip-
sa templorum adyta a praedantium ma-
nibus protexit Religio: Tantam imma-
nitatem Historicorum nonnulli solis at-
tribuunt Lutheranis, qui sub Fronsper-
gii vexillis militabant, non desunt ta-
men plures, qui Hispanos ipsis Germa-
nis vix humaniores fuisse affirmant. Ce-
terum tot tamque immania perpetraban-
tur crimina, quanta qui oculis non sub-
jecere, animis concipere non possunt;
excesserat longe facinorum foeditas om-
ne impietatis, ac saevitiae genus, quod
priscis temporibus Roma octies capta
sustinuerat. Quinimo addunt nonnulli
Scriptores, quod octo hae depraedatio-
nes simul junctae tot divitias Romanis
non eripuerint, quam haec sola; nun-
quam enim Romana urbs majori opum
abundantia praecipue in Ecclesiis incla-
ruit, quam illo eodem tempore. Nihil-
ominus templa penitus diripiebantur,
vasa sacra convertebantur in usus pro-
fanos, Matronae non modo in suis aedi-
bus ab hostili petulantia sese subtrahe-
re non poterant, sed eas ad ipsa templi
adita confugientes nequidem sacrorum
Religio furentium manibus eripere po-
terat; promiscue per omnes ordines,
aetatesque victoris libido ac licentia va-

Sæcul. XVI.

A.C. 1527.

*Sanfovin.**lib. 15.**Kayn. ad an.**1527. n. 18.**et 19.*

Sæcul. XVI gabatur, verbo, ipsa templorum San-
 A. C. 1527. ctitas nonnisi ad augendam atrocitatem
 criminum, quæ ab hisce sacrilegis per-
 petrabantur, deservire videbatur. Præ-
 cipue vero Lutherani rabiem suam in
 Basilicam S. Petri effundebant; erue-
 bant e suis monumentis summos Ponti-
 fices, ut mortuos etiam contumeliis af-
 ficere possent, Sanctorum quoque cor-
 pora ex suis thecis extrahebant, pedi-
 busque conculcabant, ac denique Sa-
 cellum Pontificium in equorum stabula
 commutabant.

Cives vero, quos casus militum gla-
 diis eripuerat, omnibus bonis suis spo-
 liabantur, & nihilominus auro vitam
 redimere jubebantur, imo insatiabilis hæ-
 reticorum avaritia eo processit, ut ad
 extorquendas pecunias etiam cuncta ad-
 hiberent supplicia, quæ olim Pagano-
 rum crudelitas per trecentos annos con-
 tra Christianos adinvenerat. Potissima
 civium pars sub ipsis tormentis animam
 reddiderat, reliqui vero mortem ideo
 duntaxat effugerant, ut vitam inter mi-
 ferias diutius traherent. Hispani quo-
 que ac Itali Germanos, qui Lutherana
 hæresi infecti erant, crudelitate atque
 avaritia superabant; unde præcipue im-
 mani sævitia grassabantur in Viros dig-
 nitate ac divitiis magis conspicuos, in
 Præ-

Præfules, Episcopos, Abbates, Magi-
stratus, Campfores, & Mercatores, quo-
rum alii horrendum in modum crucia-
bantur, alii vel pedibus suspensi, vel ig-
ne cremati, aut loris crudeliter lania-
ti torquebantur, ut immodico lytro,
cui tamen solvendo impares erant, li-
bertatem suam redimere compelleren-
tur, quocirca non pauci, ut uno interi-
tu a tot malis sese liberarent, semetip-
sos interimebant, aut furioforum ma-
nibus elapsi per fenestras in plateam se-
se præcipites agebant, ubi eorum ca-
davera inhumata relinquebantur.

Sæcul. XVI.
A C. 1527.

Refert Cochlæus, quod milites Papæ, *Cochl. in act.*
Cardinalium, Præfulum, ac Presbyterorum *Luth ann.*
vestes & pileos in eorum opprobrium induis- *1527. p. 167.*
sent, ac asinis vesti per urbis plateas sup-
plicationes instituisent, ut Religionem lu-
dibrio exponerent. Insuper Pontificis ve-
stimenta petulans quædam hæretico-
rum cohors abripiebat, & eorum non
pauci illa æque ac Cardinalium vestes
induti in conclavi sese congregabant, at-
que exauctorato Pontifice, quem non-
dum in manibus habebant, fictum crea-
bant Papam, necnon omnium suffragio
Lutherum Hæresiarcham ad sacram Pe-
tri Cathedram nominantes, eundem Pa-
pam proclamabant. In quo insano faci-
nore illud plane singulare est, quod Lu-
thera-

Sæcul. XVI. therani, cum antea Pontificiam præci-
A.C. 1527. pue dignitatem millenis satyris execra-
 rentur, jam se Lutheri sui merita laud
 dignius extollere posse existimaverint,
 quam si eidem fictum saltem summi Pon-
 tificatus honorem tribuerent.

Hæc urbis Romanæ deprædatio, quamvis solidum omnino bimestre tene-
 ret, quod plane in nulla urbis oppug-
 natione unquam factum fuisse legitur,
 nondum tamen militum avaritiam satias-
 se videbatur, sed prædæ aviditas ad om-
 nes circumvicinas Regiones sese exten-
 derat, non sine ingenti foederatorum ig-
 nominia, qui Borbonii Ducis copias ar-
 mis suis propellere adeo non erant in-
 tenti, ut etiam ad remotum valde lo-
 cum sese reciperent, unde vix eorum,
 quæ Romæ gerebantur, notitiam, nec
 deplorandum cognoscebant statum, in
 quo ipsemet Pontifex, quem per sum-
 mam ignaviam dereliquerant, conjectus
 esset.

Cum vero arx S. Angeli exiguo ad-
 modum commeatu instructa esset, & ci-
 baria inferre, hostium excubiæ prohibe-
 rent, ea, quæ supererant, brevi consum-
 pta fuere; inde summus Pontifex cum
 suis ad extremas redigebatur angustias.

*Paul. Jov.
 hist. l. 26.*

Refert Paulus Jovius, quod vetula quæ-
 dam Papæ ac ceterorum indigentiam
 mise-

miserata lactucam imposuerit cophino, qui ad recipienda, quæ illis dabantur, ex fune per murum demittebatur, ad-
 ditque idem Scriptor, quod Hispani exercitus Bellidux re comperta hanc mulierem ante ipsam portam arcis S. Angeli laqueo suspendi iusserit. Hac immanitate summus Pontifex, qui illius ocularis testis erat, per sex omnino dies tam ingenti dolore afficiebatur, ut indignationi suæ cedens, voto se obstringeret, quondam eodem supplicio hunc Belliducem castigatum iri. Sub idem tempus Cardinalis Puccius ex arcis custodia sese subtrahere moliebatur, verum equo vix conscenso in terram decidit, cum autem pedem stapedi adhuc implicitum haberet, equus calcari, quo acrius pungebatur, incitatus, cursum prosequeretur, ac Cardinalem secum per ductilem arcis pontem raptabat.

Sæcul. XVI.
 A.C. 1527.

*La Bizar-
 diere hist.
 gest. in Eccl.
 mem. p. 16.
 decad. 2.*

Porro Veneti Senatores accepto captæ urbis nuncio, non parum de vita summi Pontificis solliciti erant; quapropter missis Oratoribus Urbinatis Duci negotium dabant, extrema quæque tentaret, ut Papam in libertatem assereret. Adeo severa erant Venetorum iussa, ut Dux rupta omni mora exercitum admove cogeretur, ac Urbeveterum usque modicis tamen itineribus progredere-
 tur;

Sæcul XVI.
A.C 1527. tur; demum ad ipsam etiam arcem S. Angeli, quæ ab hostibus jamjam cincta erat, se penetraturos spondebant Salutarum Marchio, & Guido Rangonius Comes, Pontificii ac Gallici exercitus Duces, dummodo Urbinatis Dux mediam itineris partem conficeret, & reditus securitati prospiceret. Ipse vero se quidem horum consilium ratum habere simulabat, illius tamen executioni defuit, ac tergiversationibus studiose quæsitis rem ad alteram diem differri jussit.

§. XVI.

Fœdus Gallos inter & Anglos.

*Recueil des
traitez de
Leonard t. 2.
& du Tillet
act. publ. d'
Angl. tom.
14. p. 195.*

EXIGUO ante urbis deprædationem tempore Franciæ & Angliæ Reges fœdus inibant, quo utrinque conventum. I. communi opera ambo Reges ad Cæsarem Legatos decernant, qui duos Francisci I. Filios adhuc obsides pactis conditionibus liberari peterent, eo autem id renuente bellum Imperatori nunciarent. II. quiscunque Principum Cæsari opem ferret, Regis utriusque hostis declaretur. III. Papa Venetique hoc fœdere comprehendantur, ea tamen lege, ut bellum in Italia prosequerentur. IV. Hæc armorum societas nil obsit Moorensibus pactis. V. Denique Henricus tam pro se, quam pro Successori.

foribus suis cedat omni juri ac titulo, quem non modo in Franciæ Regnum, sed generatim in cuncta, quæ Franciscus I. nunc possidet, habere contendit, proin Rex ei hac de re nullam omnino molestiam inferat.

Vicissim Franciscus Galliarum Rex pro se suisque Successoribus spondebat, se Anglorum Regi, cunctisque, qui eidem successuri essent, quotannis pensionem quinquaginta aureorum millium bina solutione, nimirum prima Maji ac Novembris die numeraturum; præterea sancitum, quod prima solutio non nisi post Henrici Regis obitum fieret, ea tamen lege, ut si vigesies centena aureorum millia, quæ in Moorensi tractatu promissa fuere, post Angliæ Regis mortem necdum integre fuissent soluta, residuum ejusdem Successoribus numeraretur, ac insuper Galliarum Rex quotannis Henrico Broregiensem Salem pro pretio quindecim aureorum millium daret. Porro hæc pacta, ut perpetuæ ac inviolabilis legis vim obtinerent, ab utriusque Regni Ordinibus consensu suo firmari jubebantur, & quidem in Anglia a cunctis Justitiæ Curiis, in Gallis vero ab omnibus Archiepiscopis, Præsulibus, Principibus, Ducibus, Comitibus, Baronibus, aliisque Proceribus, præter

Sæcul. XVI.
A.C. 1527.

*Mezerai ab-
regé chron.
vie de Franc.
l. t. 4. p. 337.*

Sæcul. XVI. præter ipsas Curias, Parisiensem, To-
A.C. 1527. losanam, Rothomagensẽ, & Burde-
 galensem. Præterea mutuo consensu
 agebatur de nuptiis Mariæ, quæ Regis
 Angliæ filia aut Francisco I., aut Hen-
 rico Aurelianensis Ducis filio secundo
 genito desponsaretur; necnon de con-
 nubii pactis tractaretur in colloquio ab
 utroque Rege prope Caletum habendo,
 simulque hoc fœdus promulgaretur, ut
 Cæsar a juribus suis in Burgundiæ Du-
 catum desistere compellatur. Hæc ut-
 rinque Londini conclusa die trigesima
 Aprilis mutuo consensu firmata fuere.

§. XVII.

*Hujus fœderis articuli post Romæ de-
 prædationem mutati.*

Paulo post firmatum hoc fœdus Roma-
 næ urbis expugnatio ac deprædatio,
 necnon summi Pontificis captivitas in-
 notuit, quocirca ambo Reges consultum
 fore censebant, ut articulus de bello in
 Belgium movendo mutaretur, ac dein-
 ceptis arma nonnisi Italiæ inferenda de-
 cernerentur; sancitum igitur, ut nulla
 mora Franciscus I. triginta peditum mil-
 lia, ac mille cataphractos eo duceret,
 eoquod Anglorum copiæ non sine in-
 genti labore, ac nonnisi post longam
 moram illuc transferri possent; vicissim
 vero

vero Angliæ Rex singulis mensibus ali-
 quam pecuniarum summam persolveret, Sæcul. XVI. A. C. 1527.
 quæ ad exercitum usque ad finem Men-
 sis Octobris alendum necessaria foret.
 Postrema hæc pacta firmata ac subscri-
 pta fuere Westmonasterii die vigesima
 nona Maji, circiter tertia post captam
 urbem hebdomada, quo tempore ela-
 pso quantocius fœderi exequendo ma-
 nus admovebatur.

§. XVIII.

*Cæsar Romæ deprædationem, & Pa-
 pæ captivitatem edoctus.*

Sub idem tempus Carolus Imperator Pallav. hist. Conc. Trid. l. 2. c. 14. p. 220.
 nuncium accepit, Romam a militi-
 bus vastatam, ipsumque Pontificem ad
 arcem S. Angeli fugere compulsam, ibi-
 demque obsessum teneri; tot calamita-
 tum fama se graviter commotum simu-
 labat Imperator, qui tum Vallisoleti agens
 jam antea festivos ignes accendi jube-
 bat in signum lætitiæ, eo quod uxor ejus
 filium Philippum hujus nominis primum
 feliciter enixa esset. Ast quantocius fe-
 stivam aulæ pompam in vestes lugubres
 commutavit, publicas preces, ac
 solemnes supplicationes instituit,
 ut misericors Deus tanta mala
 ab Ecclesia sua avertere vellet, verbo,
 nihil eorum intermisit, quibus immen-
Hist. Eccles. Tom. XXXV. O fo

saecul. XVI so dolore se oppressum fingeret (*), cum
 A.C. 1527. tamen omissis ejusmodi signis sensum
 doloris praeferebantibus aequius Religio-

(*) Ejusmodi simulatio non sine gravissima injuria Caesari piissimo attribuitur. Continuator quidem hanc in rem allegat Pallavicinum; qui tamen loc. cit. haec habet: *Caesar tam gravis, & inopinatae rei nuncio anceps haesit, hinc horror ejus animum occupat ob innatam Religionem, offensionemque populi Christiani: Intelligens praeterea libertatis Pontifici reddenda beneficium longe impar offensionis gravitati, futuram timebat a tanto hoste libertati reddito parem injuriae vindictam. Quapropter facinus execratus copiarum Ducibus injunxit, ut ea ratione Pontificem liberarent, qua militibus stipendia persolverentur, sibi que cautum foret, ne quid ex ea Indulgentia detrimenti esset passurus. Sed haec ambigua Caesaris mandata inhumaniore subtilitate sunt interpretati & executi Duces Caesariani, adeoque plures menses in custodia Pontificem habuere. Haec ille, Palatius quoque in vita Caroli V. disertis verbis affirmat, quod Caesar non ficta simulatione Romani Pontificis calamitatem detestari videretur, ut quam neque suo ab imperio profectam diseret, quocirca datis ad Galliarum Regem, cujus offensionem formidabat, literis purgare facinus conabatur. Sleidanus quoque cum Surio pag. 157.*

Ray-

si Principis famam sibi conciliare potuisset, si eodem tempore Papam liberum dimitti jussisset, quem ex adverso sex omnino mensibus tamdiu captum detinuit, donec illum suis votis obsequi, ac conditiones, quascunque ei præscribere lubebat, acceptare compulisset; tunc demum externa hæc mæstitiæ signa a sinceritate multum aliena fuisse apparuit.

§. XIX.

Cæsaris consilium de Papa in Hispaniam abducendo.

Hæc agendi ratio tantopere Romanis displicuit, ut publice plures famosos

O 2

Raynaldo ad an. 1527. Massenio l. 2. p. 156. & Jacobo Valdesio de dignitate Hispaniæ c. 22. §. 39. hæc habet: *Cæsar factum hoc diligenter excusans, nullo suo mandato accidisse dicebat: imprimis autem ad Angliæ Regem ea de re scribit; Et quamquam istud certo credat justo Dei judicio contigisse, qui vim Et injuriam sibi factam sit ultus, operam tamen se daturum ait, ut hæc ipsa clades initium sit Et occasio salutis Reipublicæ. Cum in Hispaniam esset allatus ejus rei nuntius, illico cessare Cæsar jussit ludos atque spectacula, quæ propter recens natum ei filium, edebantur. Eadem restantur Historicorum plurimi, apud quos hujus simulationis nulla fit mentio.*

Sæcul. XVI.
A.C. 1527.

Sæcul. XVI. A. C. 1527. fos libellos aduersus Cæsarem affigerent, atque inter cetera figmenta Pasquinum introducerent, perinde ac si a Marforio interrogaretur: *Quid Imperator Carolus V. in Hispaniis ageret?* cui ille respondit, quod *Papæ captivitatem deploret*, ubi vero Pasquinus reposuit: *Cur eum ergo in libertatem non asserit?* Marforius dixit: *Carceris claves tam arde cordi ac Cæsaris commodis infixæ sunt, ut eas fidis lacrimis tradere nolit, quis hujus rei eventus esset, adhuc ignarus.* Nec id a vero abludere

Guicc, l. 18. videbatur; quippe dum de eo liberando consilia agitabantur, Cæsar, si tamen Guicciardino fides, Papam in Hispaniam ducere cogitabat, forte nominis sui gloriam plurimum auctum iri ratus, si intra unius biennii spacium duos, eosque nobilissimos captivos haberet, nimirum Galliarum Regem, & ipsum summum Pontificem, quos velut in victoriæ trophæum ad Madritensem urbem secum deducere posset: cum vero ejusmodi consilium velut Christianæ Reipublicæ injuriosum a cunctis Præsulibus, ac Hispaniæ populis improbari cerne-
ret, ne gravio-rem suorum invidiam incurreret, a proposito destitisse dicitur.

§. XX.

Sæc XVI.
A.C 1527.*Nuntii Apostolici studium in sollicitanda Pontificis libertate.*

Non modo Hispaniæ Præsules hanc agendi rationem damnabant, sed ferme omnes Europæ Prælati datis ad Cæsarem literis, iisque vehementibus Papam liberari postulabant; verum Cæsar horum preces semper ambiguo ac nimium generali responso eludebat, unde quæ tandem consilia agitaret, haud obscure significabat. Cum etiam Balthasar Castillionæus, qui apud Hispanos Pontificis legatione fungebatur, probe cognosceret, quod Cæsar, quamvis Papæ vexationes ægre tulisse videretur, nihilominus opem eidem re ipsa ferre negligeret, spretisque Regni sui Præsulum, æque ac exterorum precibus illius libertatem minime urgeret, Regno excedere statuit, re tamen maturius perpensa consultius fore censuit, absque prævio Pontificis aut sacri Collegii mandato aulam non esse deserendam, sed potius Domini sui libertatem toto studio procurandam. Quocirca decem Episcopos adiit, rogans, ut die præfixa in ejus domo convenirent, ac de præsentis Ecclesiæ statu secum conferrent. Hi, Præsidente Nuncio Apostolico, unacum ingenti

Guicc. l. cit.

Sæcul. XVI. Ecclesiasticorum numero nigris induti
 A.C. 1527. vestibus una omnes Cæsarem adeunt,
 supplices, ut Pontifici libertatem concederet; ast haud aliud tulere responsum, quam Cæsari idem æque ac ipsis unice in votis esse.

§. XXI.

*Cæsaris deliberatio hac super re cum
 suis Consiliariis habita.*

Enimvero Imperator sanctiorem Senatū, quem *conscientiæ consilium* vocant, congregari, ac Theologos scientia longe præstantissimos illuc accersiri iussit. Ferme omnium sententia eo abibat, quod in re tanti momenti Religionis utilitas status rationi præferatur, nilque inde Cæsareæ Majestatis honori decedat, sive Papa liber, sive captus esset, imo etiamsi cum ceteris omnibus fœdere jungeretur, semper tamen ad eum in officio continendum, Deus fat virium Cæsari dedisset: si vero in captivitate detineretur, non modo id argumento sit, quod ejusdem potentia pertimescatur, sed etiam inde Cæsaris fama periclitetur, cum hucusque semper Princeps pius, Catholicus & clemens audierit, proin Pontificem in libertatem assereret, priusquam hac detentione odium in se concitandi aliis spatium relinqueret, præcipue

cipue cum præsens bellum unice ad ve- Sæcul. XVI.
xandum Papam fuisset susceptum, cum A.C. 1527.
tamen ille jam satis captivitate, quam
hucusque sustinuit, castigatus videatur:
verum Albæ Duci longe alia infedit opi-
nio; hic enim palam ita pronuntiabat:
„ Pontifex, cum modo nostris in ma-
„ nibus sit, proprio suo damno sapere di-
„ scat, propterea ad acceptandas con-
„ ditiones, quæ eidem proponuntur,
„ compellendus est, hocque pacto res
„ ita instruatur, ut inde universæ Eu-
„ ropæ pax constans æque ac solida red-
„ datur. „

§. XXII.

*Liberationis pacta cum Papa, &
Principe Arausico imita.*

Dum hæc in Hispania agitabantur,
plurimis calamitatibus summus
Pontifex in arce S. Angeli premebatur,
eoquod non modo alimenta, bellicque
apparatus deficerent, sed etiam pestis,
quæ jamjam urbem depopulata erat, ad
ipsam quoque arcem penetraret. His
malis oppressus Pontifex, Neapolis pro-
regem adesse jussit, ut de sua libertate
cum eo ageret; cum vero ceteri Belli-
duces, qui Arausico Principi exercitus
Imperium detulerant, parum fiduciæ
in Prorege Neapolitano reponerent, nec
ipse etiam Papa ejus consiliis aquiesce-

Sæcul. XVI. re voluit, unde mense Junio cum Principe Araufico, ac præcipuis Belliducibus deditiois pacta firmare compellatur, quorum articuli erant sequentes: I. Papa Cæsareis quadringenta aureorum millia persolvat, & quidem numeratæ pecuniæ confestim centum, atque intra biduum quinquaginta millia, evoluta autem bimestri ducenta quinquaginta millia pendet, necnon in securitatem debiti reditus totius ditionis Ecclesiasticæ oppignorabit. II. Arcem S. Angeli, urbem veterem, Civitatem Castellanam, Parmam, Placentiam, & Mutinam Cæsaris potestati relinquet. III. Papa necnon tredecim illi Cardinales, quos secum habet, capti in arce S. Angeli permanebunt, donec centum quinquaginta aureorum millia erunt soluta; postea vero Neapolin aut Cajetam abducentur, quid de ipsis porro decreturus esset Cæsar, expectaturi. IV. Gregorius Eques de Casali, Rentius Ceres, ceterique omnes, qui ad arcem sese receperunt, inde, quocunque libuerit, abeundi libertatem habebunt, excepto summo Pontifice, & tredecim ejus Cardinalibus. V. Columnenses ab omnibus censuris liberabuntur. VI. Papa, postquam Roma excefferit, ibidem suum Legatum, & Rotæ Curiam relinquet.

§. XXIII.

§. XXIII.

Sæcul. XVI.
A.C. 1527.*Papa ex arce minime liberatus.*Firmatis utrinque deditiois articulis, *Guicc. l. 18.*

Alarconius Bellidux, cui olim Francisci Galliarum Regis capti custodia commissa erat, arcem S. Angeli ingrediebatur, comitantibus eum tribus Hispanorum, totidemque Germanorum cohortibus, quæ summum Pontificem, ejusque Cardinales diligentissime custodiebant. Porro pro solvenda pactæ pecuniæ summa totam auri argentique suppellectilem, quæ in arce S. Angeli asservabatur, vendere oportuit, adduntque Historicorum nonnulli, quod auro deficiente tres Cardinalium galeri in hasta, quæ in foro erat collocata, eo fine fuerint expositi, ut plus offerenti venderentur.

§. XXIV.

Angliæ Regis postulata ad Cæsarem.

Interea Henricus VIII. articulis trigesima

Aprilis die sancitis, quorum supra *Rayn. ad an. 1527. n. 27. Et seq.* meminimus, acrius insistebat, hancque in rem Pointium Equitem in Hispaniam ablegabat, qui Cæsari exponeret, quod priusquam bellum communibus expensis in Gallos moveretur, inter utrum-

O 5

que

Sæcul. XVI. que Regem conventum esset, ut Cæsar
A C 1527 mediam prædæ partem, quam in Pa-
 piensi prælio fecisset, Anglo traderet,
 unumque ex obsidibus, quos a Gallia-
 rum Rege acceperat, eidem cederet.
 Comitabatur Pointium Clarentius Regis
 Angliæ Fecialis, qui tamen positis mu-
 neris sui insignibus advenerat, ut il-
 le opportuno tempore officio suo
 fungi posset. Equidem facile perspexe-
 rat Imperator; quod Angliæ Rex non-
 nisi pacem violandi obtentum quæreret,
 nihilominus concordiam diutius proro-
 gari, e re sua fore arbitratus, Legato
 respondit, se misso hanc in rem Orato-
 re sententiam suam Regi significatu-
 rum.

§. XXV.

*Epistola Cæsaris ad Volsæum
 Cardinalem.*

Cum interea Legatus iter suum in Hi-
 spaniam profequeretur, Franciæ &
 Angliæ Reges comperto Italiæ statu
 optimum fore existimabant, si Cardina-
 lis Volsæus Ambianum accerferetur,
 ut cum Francisco I. conferret, ac de
 mediis præsentis rerum vicissitudini con-
 gruis deliberaret. Hic Angliæ Regi in
 paucis caris die tertia Julii aula discef-
 fit, ac undecima ejusdem Mensis Cale-
 tum venit, inde vero Abbavillam pro-
 fectus,

fectus, ibidem Franciæ Regis adven- Sæcul XVI.
 tum prope Ambianum præstolabatur. A.C. 1527.

Cum vero ibi Cardinalis moram trahe-
 ret, epistolam accepit, in qua Imperator
 Galliarum Regi ad ea respondit, quæ
 Franciscus Neapolis Proregi offerebat.
 Hæc vero promissa Rex hunc in modum
 proposuit: „ Madritense fædus execu-
 „ tioni dabo, quamprimum Franciscus
 „ Sfortia in Mediolanensi Ducatu repo-
 „ netur. Burgundiæ loco Cæsareæ Ma-
 „ jestati suæ vigesies centena aureorum
 „ millia numerabo, dummodo mihi
 „ Sponsa mea Eleonora, & Ambo Filii
 „ mei reddantur; denique Angliæ Re-
 „ gi persolvam, quæ Cæsar eidem de-
 „ bet, ad mensuram tamen hujus debi-
 „ ti dos ejusdem Eleonoræ augebitur.
 Hisce articulis hæc reposuit Carolus
 „ Imperator, jura mea in Burgundiam
 „ intacta servari volo, prout ante Ma-
 „ dritense fœdus fuerant; defuncti quo-
 „ que Borbonii Ducis bona ejusdem
 „ hæredibus restitui peto, liberum ta-
 „ men erit Angliæ Regi atque Legato,
 „ ut vigesies centenæ aureorum milli-
 „ bus dotem augere valeant, si forte
 „ illa non excedat summam, quam
 „ Henrico pendere debeo tam pro pe-
 „ cuniis mutuo datis, quam pro dam-
 „ norum compensatione, quam pollici-
 „ tus sum; vicissim Franciscus Gallia-
 „ rum

Secul. XVI. „ rum Rex stare tenebitur iis , quæ in
A.C. 1527. „ Generalibus Franciæ Statuum comi-
 „ tiis, aut a cujuslibet Provinciæ Or-
 „ dinibus vel Parliamentis decernenda
 „ sunt; quibus omnibus integre adim-
 „ pletis Sororem meam in Franciam
 „ mittam, & obsidibus libertatem con-
 „ cedam. Causam vero Francisci Sfor-
 „ tiæ dijudicabo, sique is innocentia
 „ sua tutus reperietur, eundem pristi-
 „ nis honoribus restituum, si secus, li-
 „ beræ meæ dispositioni Mediolanensis
 „ Ducatus relinquetur. Denique hu-
 „ jus fœderis sponsor erit Angliæ Rex. „
 Dabat Mense Julio Anno salutis millesimo quingentesimo vigesimo septimo.

§. XXVI.

*Rex Franciæ Ambiani a Cardinale
 Volsæo salutatus.*

Vix Volsæus hanc Epistolam Abbavillæ acceperat, cum illico Ambianum ad Franciscum Regem contenderet, in primo Regni ingressu tantis honoribus exceptus, ut nec ipsi Angliæ Regi majores deferri potuissent. Paulo post initium dabatur colloquiis; verum Franciscus Galliarum Rex, postquam Henricum VIII. ad suas partes pellegerat, ad servandam fidem minus propensum præseferabat animum. Equidem
 Cæsa-

Cæsaris Epistolam perlegit, sed I. sci-
 scitabatur, an absque ulla adjecta con-
 ditione Franciscus Sfortia in Mediola-
 nensem Ducatum reponatur. II. Po-
 stulabat, ut ejus filiis libertas reddatur,
 antequam is copias suas ex Italia revo-
 care compelleretur, vicissim vero polli-
 cebatur, se in promissi securitatem apud
 Angliæ Regem trecenta aureorum mil-
 lia depositurum. Cum vero Imperator
 hasce condiciones acceptare renueret,
 die decima octava Aprilis Volsæus Car-
 dinalis cum Francisco Rege triplex fœ-
 dus iniit, hisce legibus conceptum. I.
 Aurelianensis Dux matrimonio sibi jun-
 get Mariam Regis Angli filiam, quam-
 primum ambo legitimam ætatem atti-
 gerint. II. Priores tractatus, nimirum
 Moorensis, & alii integri observentur.
 III. Henricus ad alendum exercitum,
 quem Franciscus ductore Lautreco in
 Italiam mittet, stipendia, sumptusque
 suppeditabit. IV. Quamdiu Papa ca-
 ptus detinebitur, ambo Reges Genera-
 le Concilium convocari permittent, nec
 ullum illius diploma, Bullam vel man-
 datum recipient, donec Papam in liber-
 tatem assertus fuisset. His pactis utrin-
 que conclusis, atque subscriptis Vol-
 sæus Cardinalis in Angliam reversus est.

Sæcul. XVI.
 A C. 1527.

*Jean de Tib-
 let recueil des
 Rois de
 France hist.
 de Francois
 I. & Chroni-
 que des Roys
 de Franc.*

Sæcul. XVI.
A. C. 1527.

§. XXVII.

*Lautrecus cum exercitu in Italiam
missus.*

*Paul. Jov.
in elog.
Mem. du
Bellai l. 3.
Ant. de Vera
hist. de Charl.
V. p. 146.*

Sub idem tempus Galliarum Rex Odetum de Fuxo Lautreci Comitem in Italiam contendere iussit, eoquod Principes Gallis fœdere juncti ejus Imperium exoptassent. Non equidem eadem erat Regi sententia; memori enim adhuc animo revolvebat Bicocensem cladem, necnon jacturam Mediolanensis Ducatus, quem Comes sua perfidia amisisse accusabatur. Quapropter nonnisi importunis, crebrisque Anglorum precibus expugnatus, eidem exercitus Imperium deferebat, propria experientia edoctus, aut prudentiam, aut fortunam huic Belliduci defuturam, atque ex utriusque hujus prærogativæ defectu commune bonum eversum iri. Præterea Lautrecus pro parte sua nihil non egit, ut exercitus præfecturam a se amoliretur, suisque amicis genuinam hujus repugnantiae causam sciscitantibus secreto ita respondit: „ Duo sunt, quæ haud „ parum pertimesco: I. Adversam familiæ meæ sortem, ex qua nullus jam „ longo abhinc tempore absque violenta morte e vivis excessit. II. Absterret me cognita Regis indoles, eoquod „ ille

„ ille in expensis inutilibus profusus, Sæcul. XVI.
 „ in necessariis nimium parcus esset. „ A.C. 1527.

Tantum valuere hæ rationes apud Lautrecum, ut nonnisi speciali atque iterato Regis jussu compulsus Vasconia proficisceretur, acceptatoque exercitus Imperio ineunte Mense Augusto cum copiis suis Alpes transfret, ex cujus adventu non parum Fœderatorum animi erigebantur. Recensebat in exercitu suo facile viginti sex armatorum millia, ex quibus præter decem Helvetiorum millia Valdemontius Comes sex peditum Germanorum millia, Petrus vero de Navarra totidem Vasconum millia, ac denique Buriesius quatuor millia Gallorum ducebat; ingens quoque tormentorum apparatus hasce copias ductore Mondragone Nobili Vascone sequebatur.

§. XXVIII.

Lautreci progressus in Italia.

Lautrecus his copiis auctus Boscum, arcem in ditone Alexandrina sitam cinxit, ac decima obsidionis die mille præfidiarios qua Italos qua Germanos captos abduxit, qui omnes Gallorum signis sua nomina dederunt. Inde exercitum suum Alexandrinæ Urbi admovit, ubi magno tormentorum apparatu, aliisque belli instrumentis a Venetis adjutus,

*Mem. du
 Bellai l. 3.*

Sæcul. XVI. A.C. 1527. jutus, cives eo compulit, ut suppetiis destituti deditioem facerent, urbemque Mediolanensis Ducis Deputatis traderent.

Cum interea Lautrecus exiguis hisce victoriis tempus terreret, ac totum exercitum suis uniri præstolaretur, Andreas ab Auria relictis Papæ vexillis Franciæ triremibus imperabat, eisque octo alias, quas suis impensis instruxerat, adjunxit; demum hac classe munitus e Massiliensi portu solvit, ac prope Genuam mare infestum tenuit, hancque ditionem in Francisci I. potestatem redegit, opera usus Cæsaris Fregosii, qui a Lautreco validis suppetiis auctus, non modo urbem cepit, sed etiam Gabrielem Comitem de Martinengis supremum Genuensium Belliducem captum abstraxit. Nominabatur hujus urbis Præfectus nomine Regis Theodorus Trivultius Franciæ Marecallus, cui etiam paulopost arx Genuensis, ad quam Adornius confugerat, se dedit. Hæc prima expeditionis auspicia Gallis admodum fausta acciderant, qui etiam inde copiosos oppido fructus reliquo belli tempore sese collecturos sperabant, eo vel maxime, quod Lautrecus contracto totius exercitus robore, jamjam occupasset Viglebanum, totam Lomelinam, Biagrassam, Alexandriam, ac deni-

denique etiam Papiam, quam urbem Sæcul. XVI.
 Galli crudelem in modum Mense Octo- A. C. 1527.
 bri deprædati sunt, Comitumque Bel-
 giosanum illius Præfectum captum ab-
 duxerunt.

§. XXIX.

*Lautreci tergiversatio in invadendo
Neapolis Regno.*

Partis hisce victoriis Franciscus Sfor-
 tia, Venetique toto studio Lautre- Ant. de Vera
 cum urgebant, ut Mediolanum, cui An- l. cit. p. 147.
 tonius Leva præerat, obsideret; alio-
 rum vero sententia eo abibat, ut recta
 Romam contenderet, ac tandem Papam
 a captivitate liberaret. Horum confi-
 lia sequebatur Cardinalis Cibo, qui non
 ita pridem ad Gallorum castra venerat,
 cui etiam suffragabantur Florentini,
 suamque opinionem hac ratione firma-
 bant, foedus, inquiebant, vel maxime i-
 deo fuit susceptum, ut Pontifex in li-
 bertatem assereretur. Ex adverso Ve-
 neti his rationibus Mediolani obsidio-
 nem urgebant, dicebantque, urbis præ-
 sidiarii, quibus Antonius Leva præest,
 non nisi pauci sunt, iique ob tar-
 dam æris militaris solutionem minus
 contenti, proin sustinendæ obsidioni im-
 pares; munimenta etiam adeo destru-
 cta sunt, ut Cæsarei capta semel hac
Hist. Eccles. Tom. XXXV. P urbe

Sæcul. XVI. A.C. 1527. urbe nec Romam nec Neapolin tueri
 valeant. Verum Lautrecus utrique o-
 pinantium parti opposuit speciale Regis
 Franciæ mandatum, vi cuius exercitum
 Neapolitano Regno admovere jubeba-
 tur, hunc in modum differens: „ fusti-
 „ nent cunctas ferme hujus belli ex-
 „ pensas Franciæ, & Angliæ Reges, ea
 „ igitur, quæ postulant, illis concedere,
 „ æquitas exposcit; Papam liberari
 „ petunt, id tamen executioni dari ne-
 „ quit, nisi occupato Neapolis Regno,
 „ quod tamen facilis negotii res est;
 „ regnum enim omnibus pene rebus e-
 „ get. „ Ast Lautrecus genuinam sup-
 primebat rationem; ea enim ex causa
 Galliarum Rex ad expugnandum Me-
 diolani Ducatum suas copias admoveri
 renuebat, eoquod ex foederis legibus il-
 lum Sfortiæ reddere debuisset, quo fa-
 cto Veneti Regis molimina adversus
 Neapolis Regnum feliciter exequi, pa-
 rum solliciti fuissent. Aliunde Gallia-
 rum Rex continuo sperabat, fore, ut
 liberis suis faciliorem ad patriam redi-
 tum procuraret, si de Mediolanensi Du-
 catu nullam Cæsari contentionem mo-
 veret, econtra si Sfortia in imperium
 reponeretur, ipse semetipsum opportu-
 na hac occasione frustraretur: Igitur
 Lautrecus exercitum versus Neapolin
 duxit, ac die decima octava Octobris e
 Regio-

Regione arcis S. Joannis Padum traje- Sæcul. XVI.
A.C. 1527.
cit, ubi præter alias Franciæ copias e-
tiam adventum reliquorum peditum
Germanorum, quibus Valdemontius Co-
mes imperabat, præstolabatur.

§. XXX.

*Ferrariæ Dux, & Mantuæ Mar-
chio ad Gallorum partes a
Lautreco pertrahiti.*

Attamen Lautrecus tanta cunctatione Ant. de Vera
l.cit. p. 147.
iter prosequabatur, ut hoc in nego-
tio moram trahere, secreto jussus cre-
deretur: Longo enim admodum tem-
pore Parmæ ac Placentiæ substitit, Fer-
rariæ Ducem foederi rursus adscriben-
di obtentu usus. Nec inanem omnino
prætextum fuisse eventus docuit; quip-
pe Dux relicto Cæsaris foedere Gallis
se adjunxit, non modo Lautreci, qui
facile ejus ditionem devastare potuisset,
adventu perterritus, sed vel maxime
pollicitatione pellectus, qua Galliarum
Rex Herculi ejus Filio Renatam alte-
ram Ludovici XII. filiam in uxorem
promisit, quamvis hoc connubium non
nisi decimo post Mense anni sequentis
Mense Julio peractum esset. Paulo post
Mantuæ Marchio ad Gallicas itidem
partes pertrahabatur. Aucto igitur fo-
edere Lautrecus æquam cunctationis suæ
P 2 caussam

Sæc. XVI.
A. C. 1527.

causam obtendere videbatur; nihilominus vera, quæ suberat, ratio haud alia fuit, quam quod Franciscus I. ultimum expectaret Cæsaris responsum ad ea, quæ Franciæ ac Angliæ Regum Oratores eidem proponebant. Nec sua eum spes fefellit; quippe Carolus, ubi Lautrecum cum exercitu Italiam petere, ac Neapoli appropinquare comperebat, quantocius ex Hispania supremum Franciscanorum Ministrum nomine Quignonium, alias Franciscum de Angelis dictum, necnon Verrium Miliacensem cubicularium suum ad Lanoyum Neapolis Proregem, & Moncadam ablegavit, dato negotio, ut ipsi Pontificem patris quibusdam conditionibus in libertatem assererent,

§. XXXI.

*Cæsaris mandata de liberando
Pontifice.*

Guic. l. 17.
Raynald. hoc
ann. num. 3.
Et 29.
Paul. Jov.
l. 25.

Proefatus Franciscus Quignonius natione Hispanus, Didaci Fernandez de Quignonio, Comitis de Luna filius erat, qui & in comitiis Anno Christi millesimo quingentesimo vigesimo secundo Burgi celebratis supremus Ordinis sui Minister nominatus est. Hujus Viri electio Cæsarem tanta affectit lætitia, ut eundem illis adnumeraret, qui Cæsari

Cæsari a sanctioribus conscientiae con-
siliis erant. Hunc igitur Clemens Pa-
pa, cum apud Imperatorem gratia, &
auctoritate plurimum valeret, impense
rogabat, ut de eius libertate cum Caro-
lo ageret. Adiit Quignonius Cæsarem,
a quo tamen haud benignius respon-
sum, quam ceteri tulisse videtur. Tan-
dem vero Imperator non tam aliorum
precibus flexus, quam potius (ut con-
jicere licet) praesenti Neapolis Regni
statu compulsus, Papam liberum dimit-
ti jussit, hancque in rem Quignonium u-
nacum Verrio Miliacensi in Italiam mi-
sit, ut paulo ante memoravimus.

Sæcul. XVI.
A. C. 1527.

§. XXXII.

*Caroli Lanoyi Neapolitani Proregis
obitus.*

Verum ambo hi Oratores vix! Caje-
tam advenerant, cum Lanoyum
Neapolis Proregem e vivis excessisse, il-
lis nunciaretur; unde Moncadam ad-
ibant, quem Lanoyus morti proximus
sibi in exercitus imperio subrogabat,
donec a Cæsare aliter constitutum esset.
Postquam igitur junctis cum eo consi-
liis, quid hac in re agendum, decreve-
rant, iter suum Romam versus prosequen-
bantur, comitante eos Serenone, qui
prius Lanoyo, nunc vero Moncadæ a

Sæcul. XVI. A.C. 1527. secreta erat. Haud amplam spem ex horum opera sibi polliceri poterat Imperator; quippe illi contrariis omnino rationibus ad urgendum hoc negotium impellebantur. Quignonius enim purpuram ambiebat, summoque Pontifici favebat; Miliacensis vero Cæsaris commoda toto studio promovere satagebat, ac propterea Papam liberari renuebat, eoquod, inquiebat ille, nunquam ab eo idonea cautio sperari posset. Serenon quoque, qui Moncadæ negotium gesserat, rem solus pro suo arbitrio moderari gestiebat, atque in utriusque Oratoris perniciem conjurabat, ex quibus Miliacensem exclusit, ac Neapolim revocavit; Quignonium tamen a munere suo per fraudem depellere non poterat, unde illius opera summo Pontifici maxime proficua fuit.

§. XXXIII.

Actum de liberando Pontifice.

Hæc dum interea gerebantur, Cæsar jam secundo præcepit, ut summi Pontificis liberatio tandem perficeretur, hancque in rem suis Oratoribus negotium dedit, ut Clementem Papam ad residuam pecuniarum summam copiis debitam adstringerent, simulque ab eo peterent, ut se obtenta libertate a

fæde-

Sæc. XVI.
A.C. 1527.

foedere discessurum sponderet, pro idonea autem cautione obsides urbesque traderet. Cum vero postrema hæc conditio Pontifici nimium dura accideret, atque ad numeranda militibus stipendia ægre admodum necessarias pecunias conquirere posset, ideo hujus negotii executio diutius differebatur. Tandem vero Papa præscriptis conditionibus cedere, obsidesque ad Cæsaris arbitrium tradere compellebatur. Ii erant quinque Cardinales, quorum nomina sunt, Gaddius, Cesium, Ursinus, Pisanus, & Trivultius; cum vero Moncada Pontifici plusquam vatiniiano odio infensus esset, liberationis negotium retardabat, ac eo graviores identidem suscitabat difficultates, quo ferventius supremus Franciscanorum Minister liberationem promovere nitentur, hinc summus Pontifex fuit adactus, ut missis clam Oratoribus Lautrecum urgeret, quatenus exercitum suum propius Romanæ urbi admoveret, ejusque libertatem magis expeditam redderet. Ast Lautrecus speciali Regis mandato iter accelerare prohibebatur: Nihilominus tamen ejus adventus, licet oppido tardus esset, Papæ tamen salutis fuit, nec eidem oberat, quod quinque illi obsides per caminum cubilis, in quo inclusi detinebantur,

Sæcul. XVI. dextre sese servituti opportuna fuga e-
A.C. 1527. ripuerint.

§. XXXIV.

*Moronus & Cardinalis Columna Papæ
reconciliati.**Paul. Jov.**l. 25.**Rayn. annal.**ann. 1527.**n. 46.*

His ita constitutis Pontifex, cum nihil ultra sibi metueret, duos Viros, qui tum apud Cæsareos Belliduces plurimum auctoritate valebant, sibi conciliare nitebatur. Hi erant Cardinalis Columna, & Moronus Cancellarius Vir optimis consiliis plenus, qui non sine exercitus dispendio rebus suis consuluit, lubensque pro filio suo Mutinensem Episcopatum, pro semetipso autem quoddam jus acceptavit, vi cujus ex frumento in Castri novi ditione collecto vectigal exigere poterat. Cum vero Cardinalis Columna ab omni avaritiæ specie alienus esset, hunc sibi alia via demereri studebat Pontifex. Vocabat illum igitur primo ad officiosam quamdam salutationem, postmodum eidem secreto colloquens, tibi, inquit, libertatem meam in acceptis referre volo, ut universus orbis testari valeat, quod, sicut Pontifices a Columnensibus olim depressi dicebantur, ita & ab iisdem pristino dignitatis splendori restituti audiant. Hæc verborum lenocinia tam poten-

Ciccon. 10. 3.

poten-

potenter Cardinalis animum devinciebant, ut pro ejus libertate se extrema quæque tentaturum polliceretur, in cuius beneficii memoriam summus Pontifex eidem amplissimam status Ecclesiastici Præfecturam promisit, quæ tum haud alia erat, quam Marchiæ Anconitanæ legatio. His itaque favoribus devincti Moronus æque ac Columna Pontifici auctores erant, ut cum exercitu de libertatis conditionibus ageret, nec moleste ferret, quicquid demum subscribere compelleretur, dummodo ex arce S. Angeli, ubi jamjam pestis grassabatur, liber dimissus, Urbevetum, Spoleum, aut Perusium deduceretur, atque inde honestum fugiendi obtentum acquireret.

Sæc. XVI.
A C. 1527.

§. XXXV.

Conditiones a Cæsare pro Pontificis liberatione præscriptæ.

Igitur Moncada cum Clemente Pontifice pactum iniit, cujus summa hæc erat: Papa circa Neapolin ac Mediolanum nihil contra Cæsarem molietur; in Hispania pro bello sacro stipendia, in aliis vero ejusdem Regis ditionibus decimas concedet; Carolo V. relinquet civitatem veterem, Ostiam, urbem Castellanam, arcemque Foroliviensem;

Guicc. l. 18.
Ciacon. to. 3.
p 447.



Sæc. XVI.
A.C. 1527.

præterea Pontifex septuaginta aureorum millia numeratæ pecuniæ militibus Germanis, Hispanis vero triginta tria millia solvet; & decimo quinto post die iisdem quamdam dictæ pecuniæ summam, elapso autem tertio mense residuam, quæ Cæsari debetur partem, nimirum plusquam trecenta quinquaginta aureorum millia numerabit; donec vero primæ duæ solutiones fierent, Papa ad tutum locum extra Romam abducetur. Firmabantur utrinque hæc pacta, decretumque, quod nona aut decima Decembris die Pontifex ex Arce S. Angeli dimissus, ad urbem designatam conduceretur.

§. XXXVI.

Papa sub Mercatoris habitu ex arce S. Angeli fuga elapsus.

Ciacon. l.cit.
p. 448.
Guicc. l. 18.

Attamen summus Pontifex, cum molestias identidem a Moncada sibi inferri pertimesceret, atque aliunde pactis stare haud posset, nocte, quæ nonam ac decimam Mensis Decembris diem intercedit, mercatoris habitum indutus aufugit, & peropportune prope arcis portam invenit Ludovicum de Gonzaga, quem Cardinalis Columna præmisit cum copiis, quæ ad Pontificis partes pertractæ eundem ex signo utrinque con-

constituto agnoscebant, atque Urbeve-
tum deducebaat.

Sæcul. XVI.
A C. 1527.

Lautrecus Papam libertati redditum edoctus, quantocius eidem Parmam, & Placentiam restituit, cumque exercitum suum intra Appennini rupes mediæ hyemis rigori haud ultra exponere vellet, Bononiam versus progressus est, ubi tres omnino hebdomadas substitit, ibidem ulteriora Regis sui mandata præstolaturus. Vix eo advenerat, cum Clementis epistolam acciperet, in qua Pontifex libertatem suam eidem se debere profitebatur, simulque significabat, sibi a Cæsareis pro eorum libitu conditiones omnino iniquas fuisse impositas, proin se iisdem stare haud teneri, nec se, etsi vellet, easdem adimplere posse.

§. XXXVII.

Postulata Angliæ Regis ad Cæsarem.

Quantumvis Pontifex libertati redditus esset, nondum tamen Franciæ & Angliæ Reges in Cæsaris gratiam redire; Henricus enim bellum sibi nunciari edoctus, veram illius causam occultare satagebat: unde studiose per suos Legatos Imperatori quatuor articulos proponi fecit, quos sibi tum ab eodem haud concedi posse, probe cognove-

Sæcul. XVI. gnoverat. Postulabat igitur I. solveret
A.C. 1527. Carolus Cæsar totam pecuniarum sum-
 mam, quam vel ipse, vel ejus Parens
 Henricus VII. Cæsari mutuas dederat.
 II. Numeraret quingenta aureorum mil-
 lia, quæ se soluturum promiserat, si
 forte Mariam sibi desponsatam matri-
 monio jungere renueret. III. Vi fœ-
 deris utrinque initi compensaret pensio-
 nem, quam a Galliarum Rege accepe-
 rat, & quam per integros quatuor an-
 nos totidemque menses nondum solve-
 rat. IV. Cum Angliæ Rex Pontificem
 in libertatem asseruisset, Cæsar eidem
 omnia damna ab ejus copiis illata re-
 pararet. Ad hæc Carolus Imperator
 reposuit hunc in modum: „ Haud sat
 „ mirari possumus, quod in præsentire-
 „ rum vicissitudine Angliæ Rex solu-
 „ tionem urgere velit; nos ipsi literas
 „ ad Regem dabimus, eidemque de-
 „ monstrabimus, nos ob nuptias non-
 „ dum adimpletas minime ad solvenda
 „ quingenta illa aureorum millia ad-
 „ stringi. „ Verum hoc responsum non-
 dum placabat Regem, qui nonnisi ami-
 citiam cum Cæsare dissolvendi oppor-
 tunitatem quærebat.

§. XXXVIII.

Sæcul. XVI.
A.C. 1527.

Optimates a Galliarum Rege hanc in rem congregati.

Altera ex parte Galliarum Rex Mense Septembri Optimatum ac Regni Procerum comitia agebat, ibidemque cuncta, quæ a Cæsare pro impetranda pace postulasset, exponebat, eorumque sententias rogabat, quid demum pro liberandis suis prolibus agendum censerent, pollicitus etiam, se in captivitatem rediturum, si id promissi fides, Regis honor, ac conscientia necessitas exigeret, indeque nihil Regni utilitati decederet. Ad hæc tres Regni Ordines in hisce comitiis congregati unanimi suffragio hoc responsum reddiderunt. „ Regia „ sua Majestas non sibi sed regno debetur, Burgundia vero pars est Regni, „ cuius Rex nonnisi usum fructum habet, proinde neutra pro arbitrio suo „ disponere valet, si tamen Cæsar lytri „ nomine pro utroque Principe, quem „ obsidem tenet, vigesies centena aureorum millia acceptare velit, nos „ hanc summam pro eorum liberatione „ Regiæ suæ Majestati offerimus, si vero ad belli necessitatem res deveniret, „ declaramus, omnes nostros subditos „ nec sanguini nec bonis parcituros. „

§. XXXIX.

Sæcul. XVI.
A. C. 1527.

§. XXXIX.

Franciscus I, & Henricus VIII. Ordinum suorum insignibus mutuo decorati.

*Mem. du
Bellai l. 3.*

Percepta hac Procerum sententia Galliarum Rex tuto se bellum Cæsari inferre posse existimabat, quapropter unice intentus erat, ut filios suos armorum vi in libertatem assereret; ut vero Henricum Angliæ Regem sibi arctius devinciret, unacum insignibus Ordinis S. Michaelis solemnem ad eum decrevit legationem, cujus princeps erat Annatus Montmorentius, quem quingenti Equites comitabantur. Excipiebatur hic Legatus insolita prorsus magnificentia, qua majorem se nunquam vidisse testatur Bellayus, qui & ipse hujus Legati comes erat. Henricus vicissim Galliarum Regi per Arturum Insulæ Vicecomitem, spurium Eduardi IV. filium Periscelidis Ordinem transmisit, ac demum quilibet horum Principum juramento fidem suam mutuo obstrinxit, adjectis tamen solitis restrictionibus.

§. XL.

§. XL.

Sæcul. XVI.
A.C 1527.*Initia historice de divortio
Henrici VIII.*

Ineunte hoc anno, vel juxta alios jam ab Anno Domini millesimo quingentesimo vigesimo sexto Henricus VIII. de repudianda Catharina Arragonia ejus conjugæ consilium agitare cæperat; Præcipua equidem hujus divortii causa ignoratur, si tamen ipsius Regis verbis fides habenda, Rex specie religionis ducebatur, eo quod jam ab anno Domini millesimo quingentesimo vigesimo quarto dubitasset, utrum connubium cum uxore sua validum esset; verum hæc anxietas tarda nimis fuisse videtur, postquam jam per viginti annos & amplius cum ea assiduam thori societatem conservaverat. Ut ut se res habuerit; id certum est, quod Henricus ab eodem anno conjugii usum Reginæ denegaverit. Auxit etiam Tarbiensis Episcopus Regis aversionem, quam itidem Longlandus, qui Henrici conscientiam moderabatur, fovere satagebat, ac denique Volsæus Cardinalis, ut Regem in hoc suo proposito firmaret, nihil non agebat. Hic obscuro loco natus ac lanionis filius non nisi fraudum, & ambitionis suæ subsidio purpuram

*Le Grand.
hist du divorce de
Henric.
VIII. to. I.
p. 34.*

*Hist de la reforme de
l'Eglise
d'Angl. par
Burnet to. I.
p. 57.*

*Raynald. an.
1528. n. 108.
Es seq.*

*Sanderus de
schism. Angl.
l. I.*

*Polyd. Virg.
l. 27.*

*Harpsfeld.
in hist. Eccl.
Angl.*

Sæc. XVI.
A.C. 1527.

ram aucupabatur, ac primo Lincolnien-
sis Præsul postea Eboracensis Archi-
episcopus ac Cardinalis, & denique An-
gliæ Cancellarius nominabatur; nec
tamen tot dignitatum amplitudo hujus
Viri cupiditatem satiare poterat, sed ad
ipsum etiam summi Pontificatus api-
cem ascendere ambiebat. His accessit,
quod sub idem tempus Carolus V. Im-
perator eidem polliceretur, se nil inten-
tatum relicturum, ut ad primam totius
Ecclesiæ Sedem eligeretur; Volsæi e-
nim opera Cæsari ad exequenda, quæ
tum temporis animo volutabat consi-
lia perutilis erat: ast mutata rerum fa-
cie Carolus haud ultra, quod obtule-
rat, præstare curabat. Quapropter Vol-
sæus ira accensus, nihil non age-
bat, ut Cæsari molestiam crearet, nec
vindictæ feliciter exequendæ opportu-
nitas deerat, quam eidem suppeditabat
Henrici divortium cum Catharina ejus
conjugæ; cum enim illa Joannæ de Ar-
ragonia, quæ Caroli V. Mater erat, So-
ror esset, se abs dubio ipsi etiam Cæsari,
totique ejus familiæ atrocem omni-
no injuriam illaturum præsenferat, si il-
lius Materteram Regiæ dignitatis ho-
nore exueret.

§. XLI.

§. XLI.

Sæcul. XVI.
A.C. 1527.*Angliæ Rex ad repudiandam Con-
jugem suam a Volsæo Cardinale
solicitationus.*

Ejusmodi consiliis stimulatus Cardina-
lis, non minus calliditate quam am-
bitione insignis, anxietatem, seu veram,
seu fictam, qua Henricus Rex de con-
nubii sui firmitate dubitabat, studiose
augere nitebatur, præterea haud parum
perversa ejusmodi consilia promove-
bat gratia, atque auctoritas, qua Vol-
sæus plurimum apud Regem valebat.
Nihilominus tamen, cum de re maximi
momenti ageretur, Rex nil præcipiti
consilio agendum censebat, unde quam-
vis conjugium suum dissolvere animo
constituisset, subdole tamen aliorum sen-
tentias rogabat, rationes, ac testimo-
nia conquirebat, quinimo dato etiam
auro emebat; verum tanta solertia ne-
quicquam adhibita minime eo usque
proficiebat, quin non genuina tanti moli-
minis ratio a quovis facile deprehendere-
tur. Vera enim & unica tot agitatio-
num causa erat, quod prole mascula
destitutus, nec nominis nec Regni sui
hæredem haberet, ac insuper ejus con-
jux utpote multis oppressa morbis il-
lius animum ad libidinem plus justo
Sanderus
l. cit. l. i.
Sanderus l. 2

Hist. Eccles. Tom. XXXV.

Q pro-

Sæcul. XVI.
A.C. 1527. proclivem fatiare haud posset; prætere-
rea Rex insano amore deperibat Annam de Boulen, quæ vero quidem nomine Bollegena, ab Anglis tamen Bollena dicebatur. Illa autem nefandis Henrici amplexibus affuescere recusabat, nisi saltem ab illo in uxorem duceretur.

§. XLII.

Annæ Bollenæ indoles, moresque a Sanderō descripti.

*Sanderus
hist. de
schism. Angl.
Le. Grand
defense de
Sander. to. 2.
p. 47.*

Nobilis hæc Puella Thomæ Boleni Equitis Filia erat, ac Reginae inter honorarias Virgines inserviebat, unde Rex opportunam cum ea sæpius colloquendi occasionem nactus, illam ardentè deperibat. Hæc illo adhuc tempore in Regis aula iis resplendebat corporis ac naturæ prærogativis, quas primævus juventutis vigor largiori manu effundere solet; eminebat præterea faceto admodum ingenio, necnon haud vulgari saltandi, fidibusque ludendi peritia, denique novis vestium inventionibus percelebris, tam apte & concinne induebatur, ut reliquis Aulæ Puellis sese vestiendi normam præscribere videretur. Attamen animæ dotes nullatenus æquabant præclara hæc corporis ornamenta; quippe fœmina erat, vanitati, ambitioni, & libidini dedita.

§. XLIII.

§. XLIII.

Sæcul. XVI.
A.C. 1527.

*Obnitente Rege actum de Bolencæ
nuptiis cum Perceyo.*

Occultabat Angliæ Rex aliquamdiu Petr. Haylin
de reform.
latentem amoris sui ignem, donec Eccl. Angl.
p. 257.
tandem eidem nunciaretur, Annam pro- Cavendish.
in vita Vol-
xime connubio jungendam Perceyo sey cap. 9.
Northumbriæ Comitis Filio. Is erat ju-
venis non modo divitiarum copia, sed
& generis nobilitate inter ceteros An-
gliæ Proceres summe conspicuus; quip-
pe illum post obitum Patris sui, qui jam-
jam multo senio gravis erat, sextum
hujus familiæ Comitem salutari oport-
tebat. Anna vero Bolena, quamvis
Norfolciæ Ducis Neptis esset, eo adhuc
tempore vix Percey opes æquabat, un-
de etiam matrimonio jungi, beneficii
loco habebat: ne vero fortunæ suæ æ-
mulos haberet, rem tam religioso tege-
bat silentio, ut nec ipse quidem Volsæus
Cardinalis, cui a servitiis Perceyus e-
rat, quicquam hac de re suspicaretur.

Ubi vero Angliæ Rex ea de re cer-
tior fiebat, quantocius Volsæo nego-
tium dedit, ut hujus connubii consilia
penitus everteret. Percipiamus ea,
quæ Cavendishius testis oculatus in vi-
ta hujus Cardinalis profert, remque ita
exponit.

Q 2

Vol-

Sæc. XVI.

A.C. 1527.

„ Volsæus, postquam Nobilem Percey-
 „ ceyum Annæ Bolenæ amoribus irre-
 „ titum noverat, eundem a suo itinere
 „ reducem ad Regem venire iussit, il-
 „ lumque coram nobis omnibus gravi-
 „ ter objurgatus est, ac primo quidem
 „ nil aliud eidem proposuit, nisi quod
 „ ejusmodi nuptiæ Perceyum minus
 „ decerent; hic vero mox reposuit:
 „ nullatenus ob sponsam, quam mihi
 „ selegi, redargui possum; illa enim nec
 „ generis nobilitate, nec animi corpo-
 „ risque dotibus me inferior est: cum
 „ autem postea Volsæus magis impe-
 „ rioso Perceyo declararet, quod rebus
 „ suis melius consuleret, si haud ultra
 „ de ejusmodi connubio mentionem fa-
 „ ceret, Perceyus hunc in modum re-
 „ spondit, Regi, atque Eminentiae suæ
 „ prompto prorsus animo aquiescerem,
 „ nisi jamjam artis adeo vinculis Bo-
 „ lenæ essem adstrictus, ut ea disrum-
 „ pere haud amplius mihi integrum sit;
 „ præsentibus enim testibus meam ei-
 „ dem fidem obstrinxi, quam honoris
 „ æque ac conscientiae meæ legibus
 „ violare prohibeor, quocirca Eminen-
 „ tiam vestram suppliciter rogo, ut in hoc
 „ negotio apud Regem sua pro me ob-
 „ sequia impendere velit. Ad hæc ve-
 „ ro Volsæus longiorem Perceyi repu-
 „ gnantiam pertæsus hæc in responsis
 „ „ dedit:

„ dedit: ergone existimas, me Regem- Sæc. XVI.
 „ que ignorare, quid hac in re nobis a- A.C. 1527.
 „ gendum sit: itane morem gerere re-
 „ cusas, ac connubium inire meditaris,
 „ in quod tamen nec Regem unquam
 „ consensurum, nec Comitem Patrem
 „ tuum id permiffurum haud ignoras?
 „ ea quæ moliris, Patri tuo significabo,
 „ & certe aut imprudens tuum nuben-
 „ di confilium deserere compelleris, aut
 „ hæreditatis jure privaberis. „ His
 „ perceptis Perceyus reposuit, quod Car-
 „ dinali obtemperare velit, quamprimum
 „ id salva religione facere poterit.

Post hæc Cardinalis Northumbriæ
 Comitem adesse jussit, eique exposuit
 periculum, in quod sese ejus filius præ-
 cipitem ageret, si diutius suo Annam
 Bolenam ducendi proposito insistere
 vellet. Ad hæc Pater in Perceyum
 vehementer excanduit, nullaque mora
 illum accersivit, ac coram quibus-
 dam Volsæi Ministris eidem improvi-
 dam stultamque agendi rationem acri-
 ter exprobravit, jussitque, ne unquam
 Annæ Bolenæ conspectum subiret, ad-
 jectis etiam minis eum ab hæreditate
 exclusum iri, ni mentem ac sententiam
 mutaret. Perceyus, quamvis ingenti
 in Bolenam amore flagraret, Patris ta-
 men sui jussis obstrepere minime aude-
 bat, probe gnarus, hunc nonnisi Regis,

Q 3

ac

Sæc. XVI.
A.C. 1577.

ac Cardinalis mandato adactum nuptiis
adversari. Igitur non modo Patri suo
morem gessit, sed insuper, ut omnem sus-
picandi ansam a se amoliretur, paulo-
post Georgii Salopiæ Comitis Filiam
connubio sibi junxit.

§. XLIV.

*Rex Bolonæ illecebris captus, eam sibi
jungere statuit.*

Quamprimum Rex æmulum suum a-
moverat, nullatenus sibi Religioni
ducebat, quominus amorem, quo An-
nam Bolenam prosequeretur, eidem di-
fertis verbis manifestaret. Illa vero (an
dolus, vel virtus id suaserit, ignoratur)
Regi declarabat, se nonnisi legitimo con-
jugi corporis sui usum reservasse. Hæc
ipsa Puellæ repugnantia, qua Henrici
desideria aliquamdiu suspensa tenebat,
summopere immodicum Regis amorem
magis magisque accendebat; quapro-
pter ut nuptias cum Anna acceleraret,
Catharinam Arragoniam e thoro suo
expellere toto studio nitebatur.

§. XLV.

*Cæsar de Henrici proposito a Regina
ejus Conjuge certior factus.*

Regina, cum adversus se malum ador-
nari jamjam cernebat, haud parum
ange-

angebatur, illius vero animum ut Cardinalis conficta fiducia erigeret, eidem hæc significabat: Rex ab Episcopo Tarniensi admonitus est, quod tuum cum Rege matrimonium omnino irritum sit, eapropter Maritus tuus ab hoc temporis momento anxius semper curis cruciatur, de cetero tamen nihil hac super re tibi timendum erit. Ast illa non tam facile a concepta sententia dimoveri poterat, jamque ad Cæsarem Nepotem suum in Hispaniam quemdam ex suis Sacellanis, Abelem nomine ablegabat, qui de cunctis, quæ in Anglia agitentur, illum certiores redderet, illiusque patrocinium hac in re imploraret. Id quidem nec Regem nec Volsæum latebat, ne tamen rei fama per totam urbem discurreret, ambo Reginæ totam rei seriem exponi iusserunt, idque eo majori fiducia, quo magis sollicitè opportunum captare quærerent obtentum, cuius beneficio coram legitimo Iudice huic causæ initium dare valerent, quamvis ceteroquin ipsimet jam antea proprio arbitrio matrimonium dissolvere omnino decrevissent. Hoc in negotio medium ceteris magis expeditum videbatur, ut tota causâ ad tribunal Pontificis deferretur; hunc enim sat propitium fore, nihilque Britanno Regi denegaturum, falso sibi persuadebat Cardinalis.

Sæc. XVI.
A.C. 1527.

nalis. Igitur Gregorius Casalius, qui Romæ Regis Legatum pro more agebat, causæ decisionem urgere jubetur. Hic Compendium, ubi tum Volfæus Cardinalis morabatur, contendit, atque ab eo, quid hac in re ageret, mandata recepit.

§. XLVI.

Rationum momenta contra Julii II. dispensationem Romæ alleganda.

Equidem inter ceteras, quas Rex ac Volfæus allegare potuissent, validissima fuisset ratio ex eo petita, quod legis Ecclesiasticæ solutio a Julio II. impetrata legibus adversa, proin nulla esset; ast ambo verebantur, ne causâ caderent, ac Romanæ Curix indignationem incurrerent, si Romanorum Pontificum auctoritatem in dubium vocare viderentur. Ergo Juris Pontificii ac Theologiæ Doctoribus dabatur negotium, ut saltem ipsi ex Pontificis Constitutione quædam eruerent, ex quibus præfata dispensatio nulla credi, eaque de causâ hoc negotium efficaci conatu urgeri posset, simulque ostendi, quod hæc Bulla nonnisi quibusdam doloso silentio occultatis, aliis falso expositis fuisset obtenta, proin omnino revocanda

Sæcul. XVI.
A.C. 1527.

da esset. Percipiamus eorum rationes, quibus ipsam dispensationem nullam esse evincere nitebantur. Igitur sequentia allegabant illi. I. In præfata Constitutione exponitur, quod Henricus Princeps, ut Catharinam matrimonio sibi jungere valeret, a summo Pontifice dispensationem concedi postulaverit, id autem falsum esse ajebant, eo quod Henricus tum nonnisi duodecim annos natus nondum ea ingenii maturitate poleret, quæ ejusmodi petitionem præcedere deberet. II. Hujus impedimenti solutio per Henricum a Papa fuit petita, eo fine, *ut vinculum pacis & amicitiae inter Ferdinandum & Isabellam Hispaniæ Reges diutius permaneret.* Hanc vero rationem manifeste falsam fuisse contendebant Doctores, eo quod Princeps eo tempore nondum eam ætatem affecutus fuisset, ut adeo sublimia foveret consilia, simulque sibi persuasum haberet, quod nuptiarum fœdere rebus publicis prospici posset. III. Addebant, in allegata Bulla affirmari, ejusmodi connubium ad conservandam pacem inter ambos Reges necessarium esse; id vero falso supponi dicebant; perperam enim summo Pontifici suggerebatur, ingens instare malum, nisi hoc fœdere rursus ambo hi Reges unirentur, cum tamen, etsi nunquam de hisce nuptiis fuisset a-

Q 5

ctum,

Sæcul. XVI. ctum, uterque Rex sibi invicem bellum
 A.C. 1527. intulissent, ac præterea eo tempore nec
 pacis violatio, nec alia calamitas timenda fuisset. Ex his inferebant illi, hoc Pontificis diploma per fraudem fuisse impetratum, his quoque subjungebant, Henricum VII, & Isabellam jamjam mortalitatem exuisse, priusquam Henricus VIII. Catharinam duxisset, proin matrimonium validum dici haud posse, quod unice ideo obtentum esset, ut pax conservaretur inter duos, qui tamen concessio conjugii usu jam supremum diem obiissent. Denique agebant, quod Henricus VIII, simul ac e tutorum potestate exiisset, contra hoc matrimonium reclamasset, proin quicquid ejus nomine ac durante pupillari illius ætate fuisset a Papa petatum, eo ipso revocatum nullumque censendum sit,

§. XLVII.

Knigthius in causa divortii Romanus ablegatus.

*Le Grand
 hist. du divorce to. I.
 p. 59.*

Nihilominus, cum præsentis temporis, rerumque calamitates, quibus Clemens Papa premebatur, haud dubie promitterent, eundem facile Regis voto concessurum, hinc divortii negotium ardentius urgebatur, hancque in rem Henricus Rex Knigthium Doctorem,

ctorem, atque arcani consilii Ministrum Sæcul. XVI.
 Romam decrevit, eique injunxit, ut non A.C. 1527.
 modo verbis sed tota consilii serie a Car-
 dinale instructus abiret: ignoratur ta-
 men, utrum Knigthius unacum Casalio
 iter Italiam versus suscepit, id dunta-
 xat pro comperto habetur, Casalium vix
 Anglia profectum a Volsæo jussum fuisse,
 ne quicquam hac in re moliretur, do-
 nec nova supervenirent mandata, ea ve-
 ro non nisi Mense Decembri Romam
 fuisse delata. Interea Knigthius Mense
 Julio Angliam reliquit, Romam dela-
 tus: Ast summum Pontificem utpote in
 arce S. Angeli a quodam Centurione
 Hispano custoditum adire haud poterat,
 eique unice concessum, ut Clementi li-
 bellum supplicem transmitteret. Con-
 tinebantur in eo quatuor articuli, in
 quorum primo Papa rogabatur, ut Vol-
 sæo Cardinali demandatæ potestatis
 literas daret, quibus munitus, adjunctis
 etiam quibusdam Episcopis, hoc nego-
 tium in Anglia dijudicare posset. Al-
 tero petebatur, ut Papa connubium Re-
 gis cum Catharina irritum declararet,
 eo quod matrimonium ejusdem Reginæ
 cum Arthuro initum ipso etiam con-
 nubii usu firmatum fuisset. Tertio ur-
 gebatur Pontifex, ut concessa conjugii
 solutione Regi aliam uxorem ducendi
 copiam faceret. Quartus denique ar-
 ticu-

Sæcul. XVI. A.C. 1527. tculus Papam inducebat, ut priores tres articulos nunquam se revocaturum polliceretur. Ad hæc postulata Clemens Papa sat propensum ostendit animum, spemque fecit, se Henrico facturum satis, quamvis jam antea nomine Cæsaris Minister Generalis Fratrum Minorum postulasset, ne quid de hujusmodi divortio tentaretur, priusquam Imperatoris Ministri hac de re edocerentur.

§. XLVIII.

Papa libertati restitutus, ac ab Angliæ Legatis salutatus.

*Le Grand l. c.
p. 69. & 70.
Spond. hoc
ann. n. 8.*

Cum Papa adhuc in custodia detineretur, hujus causæ decisio segnius urgebatur: ast simulac fama Romæ percrebuit, quod Clemens sub mercatoris veste noctu fuga elapsus sese Urbevetum recepisset, mox Angliæ Legati inter ceteros primi Papam convenere, eique recuperatam libertatem gratulati sunt; his ita respondit Pontifex, „ quanta Rex Dominus vester, necnon Cardinalis Volsæus pro liberatione mea præstiterint, haud ignoro, utrique eorum meo nomine dicatis velim, me pro beneficii amplitudine grati animi mercedem redditurum. „ Tanta Papæ benignitas
Legati

Legatis opportunam demandati negotii feriem exponendi occasionem suppeditabat, quocirca præprimis pluribus extollebant immotum, quo Reges regnumque Angliæ Sedem Apostolicam semper venerarentur, studium, necnon præclara, quæ hucusque Ecclesiæ præstitissent, ac etiamnum præstare possent, exaggerabant obsequia, postea summo Pontifici exponebant, quod Sedis Apostolicæ honor, atque utilitas deperceret, ut mala præverterentur, quæ Regno impenderent, si Rex absque prole mascula decederet, Reginam enim suscipiendi filii spe destitutam esse agebant, proin Regis sui nomine rogarent Pontificem, ut Julii II. dispensationem, vi cuius Rex fratris sui viduam ducere permittebatur, solerter discutiendam committeret. Pontifex cuncta, quæ Legati proponebant, benigne excepit, responditque, æqua sibi videri eorum postulata, sibi vero totius rei feriem haud probe perspectam esse, proin acturum se proxima quoque die cum Cardinale tit. SS. quatuor Coronatorum, ac postea se hac super re eisdem responsum daturum.

Sæcul. XVI.
A. C. 1527.

*Le Grand
hist du di-
vorce d' Hen-
ric. VIII.
tom. I p. 69.
§ 70.
Spond. ad
ann. 1528.
n. 8.*

Sæcul. XVI.
A. C. 1527.

§. XLIX.

Epistola Cardinalis Volsæi ad Casalium Angliæ Legatum Romam missa.

Sub idem tempus Cardinalis Volsæus datis ad Gregorium Casalium Legatum literis eidem injunxit, ut unita cum Knighthio opera Papam urgeret, quatenus Regi, quæ postulaverat, concederet. Hæc epistola vehementi admodum stylo concepta haud obscure ardens manifestabat desiderium, quo ipsemet Cardinalis divortium decerni peroptabat. Præprimis Casalium encomiis, promissis, atque officiosis verborum lenociniis lætabat, præmia etiam pollicitus, si negotium ejus curæ demandatum feliciter ac sedulo ad exitum perducere conaretur. His præmissis ad eum sequentia perscripsit:

„ Haud ultra te latere potest, Regem
 „ non modo propriæ scientiæ, ac adhi-
 „ bitæ diligentæ testimonio, sed ipso etiam plurium Theologorum, ac Virorum in quavis facultate celeberrimorum judicio convictum clare agnovisse, quod Reginam thori sui sociam haud ultra habere possit, quin leges divinas violet, suamque conscientiam lædat, atque animum periculo salutis,

Barnet hist. refor. Angl. tom. I. p. 73. De Rapin. Thoiras hist. d' Angl. to. 5. p. 250.

„ tis, necnon continuis agitationibus Sæcul. XVI.
 „ exponat; præterea Rex non modo A. C. 1527.
 „ regni sui, sed etiam exterarum regio-
 „ num Jurisperitos, Theologosque scien-
 „ tia longe clarissimos in consilium vo-
 „ cavit, atque inter eos nonnulli cen-
 „ sebant, Papam in primo affinitatis
 „ gradu legis gratiam facere haud po-
 „ tuisse, eoquod ejusmodi connubia pu-
 „ blicæ honestati, legi naturali, & divi-
 „ næ adversentur, atque interdican-
 „ tur (*); ceterorum autem omnium
 „ sententia eo abibat, quod Papa (si ta-
 „ men id posset) nunquam ejusmodi
 „ facultatem concedere debuisset, nisi
 „ ob causas omnino gravissimas, qua-
 „ rum tamen nulla in Pontificis Consti-
 „ tutione exprimitur. „ Post hæc Car-
 „ dinalis proposuit rationes jam superius
 „ adductas, quibus innixus Rex Julii II.
 „ dispensationem nullam declarari postu-
 „ labat.

Demum ita prosequitur Cardinalis:
 „ Haud temere Rex suspicabatur, quod
 „ propterea a Deo prolium suarum
 „ morte fuisset castigatus, unde, ut no-
 „ vas irati Numinis calamitates decli-
 „ naret,

(*) Ita censebant vanales quidam Angliæ
 Doctores, cujus sententiæ falsitatem optime de-
 textit Thomas de Vio Cardinalis Cajetanus tom.
 3. tract. 14. cap. 1. & seqq.

Sæcul. XVI.

A.C. 1527.

„ naret, ad Sedem Apostolicam nego-
 „ tium referre statuit, petitque, ut ibi-
 „ dem matrimonii sui firmitas discuti-
 „ tur, simulque præclara, quæ summis
 „ Pontificibus præstitit, obsequia pon-
 „ derentur; hancque in rem media
 „ perquirantur opportuna, ut a conju-
 „ gis suæ thoro separatus libere alteri
 „ nubere possit, a qua Deo adjuvante
 „ prolem masculam sperare valeat. I-
 „ gitur nil intentatum relinque, ut re-
 „ motis arbitris cum Papa conferas,
 „ eique demandatæ potestatis literas
 „ tradas, in quibus maximi momenti
 „ conditionem ab ipsomet Rege addi-
 „ tam reperies. Præterea summo Pon-
 „ tifici meo, Regisque nomine expo-
 „ nas, nos summopere adversam, quam
 „ Papa, ejusque Cardinales indignum
 „ in modum perpeffi sunt, vicem dole-
 „ re, simulque eidem fidem facias, nos
 „ nihil non acturos, ut Papa, ejus-
 „ que Cardinales quantocius libertati
 „ reddantur, me vero speciatim tanto
 „ studio, ac fervore huic negotio invi-
 „ gilaturum, perinde ac si Sanctitatis
 „ suæ libertas unice a meis viribus de-
 „ penderet. Postea summum Pontificem
 „ de ipsa conjugii, quod Rex contraxit,
 „ statu ac conditione edoceas velim, vi-
 „ vis quoque depinge coloribus crebras,
 „ quibus religiosa Regis conscientia
 „ „ agita-

„ agitatur: exaggera mentis anxietates, Sæcul. XVI.
 „ necnon calamitates, quæ Rege sine A.C. 1527.
 „ hæredibus decedente Regno immine-
 „ rent; his adde omnium Procerum
 „ preces, totiusque populi vota. Ver-
 „ bo, nil eorum prætermitte, quibus
 „ Papam ad irritandam Julii dispensa-
 „ tionem inducere poteris, eique ob
 „ oculos pone præsentem Christianæ
 „ Reipublicæ, ac Italiæ statum, præ-
 „ terea gravibus omnino verbis Ponti-
 „ fici serio exponas, quantum ipsius,
 „ Sedisque Apostolicæ interfit, ut Rex
 „ inviolabili fide summis Pontificibus
 „ adhæreat, ac denique fidem facias
 „ Clementi, quod si hoc in negotio Re-
 „ gis voluntati satisfacturus sit, fore,
 „ ut Henricus ad tuenda Ecclesiæ jura
 „ semper sese obstrictum profiteatur. „

„ Ceterum, pergit Cardinalis, ma-
 „ gis gloriosum erit Pontifici, si incon-
 „ sulto etiam Cardinalium Collegio Re-
 „ gem voti sui plene compotem reddi-
 „ derit, ac *proprio*, ut inquit, *motu*
 „ demandatæ potestatis literis, quas
 „ unacum transmitti, subscripserit,
 „ eoquod legitime sint instructæ, vali-
 „ disque argumentis suffultæ, eisque
 „ nil nisi Papæ sigillum desit. His enim
 „ literis Rex mihi potestatem concedi
 „ postulat, ut unacum aliis meo iudicio
 „ *Hist. Eccles. Tom. XXXV.* R „ se-

Sæcul. XVI. „ feligendis de Regis matrimonio cog-
A. C. 1527. „ noscere, ac sententiam ferre possim;
 „ præterea hæc literæ consonant man-
 „ datis, quæ itidem tibi submitto, jam
 „ ultima eis admota est manus, eas igi-
 „ tur a Papa signari procura unacum
 „ alia dispensationis forma plene elabo-
 „ rata, quam in eodem fasciculo repe-
 „ ries. Si cuncta hæc impetrabis, Pon-
 „ tifici significes, Regem in Franciam
 „ jamjam ingentem pecuniarum sum-
 „ mam pro Gallorum exercitu in Italia
 „ alendo transmisisse, nunc vero nec
 „ labori, nec sumptibus, nec thesau-
 „ ris parciturum, ut Papam e custodia
 „ eripiat, sanctamque Sedem Aposto-
 „ licam in eundem, quo antea fulge-
 „ bat, potentiæ ac Majestatis splendo-
 „ rem reponat, hancque in rem recen-
 „ seas, quod Henricus Belgium toto
 „ exercitus sui robore invasurus, bel-
 „ lumque tamdiu Cæsari illaturus es-
 „ set, donec ad officium redigatur. Si
 „ vero Papa e carcere suo jamjam ere-
 „ ptus in Cæsaris gratiam redierit, pri-
 „ usquam has literas receperis, tunc
 „ Pontifici suggeras, ne fiduciam suam
 „ in Caroli præsidium reponat, cum is
 „ eidem sæpius fidem fefellisset, totus-
 „ que in eo esset, ut Ecclesiæ potesta-
 „ tem imminueret, pariter Pontifici in
 „ memoriam revoces, quod Cæsarem
 „ a so-

„ a solemnijuramento , quo se Mariam Sæcul. XVI.
 „ uxorem ducturum obstrinxerat , in- A.C. 1527.
 „ scio Rege absolverit , proin Henricus
 „ quoque utpote omni tempore sacræ
 „ Sedi addictissimus , juxta ac studio-
 „ fissimus merito sibi polliceatur , ut
 „ parem etiam favorem consequi me-
 „ reretur. Si autem forte Pontifex mi-
 „ hi hujus causæ cognitionem commit-
 „ tere tergiverfetur , ac vereatur , ne
 „ Regis voluntati utpote primus illius
 „ Minister plus justo faveam , tunc quic-
 „ quid tua tibi industria dictat , adhibe ,
 „ ut ejusmodi timorem dispellas , cer-
 „ tumque reddas Pontificem , me om-
 „ nes æqui judicis partes expleturum ,
 „ si vero insuperhabitis his omnibus Pa-
 „ pam flectere desperes , propone illi
 „ Staphilejum Rotæ Apostolicæ Deca-
 „ num , qui modo in Regno moratur ,
 „ ceteros autem quoscunque extraneos
 „ recusa ; his quoque adde , hujus ne-
 „ gotii moram æque ac ipsam petiti-
 „ nis repulsam Regi ingratham fore. De-
 „ nique si Papam animo constituiffie cer-
 „ nes , rem cum quibusdam Cardinali-
 „ bus agere , nil inaufum relinque , ut
 „ ab hac sententia illum dimoveas , si
 „ autem incassum omnia , horum Car-
 „ dinalium nomina explorare , eosque
 „ invisere cures , nihilque eorum præ-
 „ termittas , quæ , ut hi Regis propo-
 „ R 2 „ lito

Sæcul. XVI. „ fito faveant, opportuna censebis; ex-
 A.C. 1527. „ hibe illis rationes, ob quas dispensa-
 „ tionis Bulla omnino nulla est, & divor-
 „ tium concedi petitur; postremo illos
 „ muneribus ad Regis partes pertrahe-
 „ re studeas. „

§. L.

*Cardinalis tit. quatuor Coronatorum a
 Knitghio, & Casalio salutatus.*

Has literas recepit Casalius unacum
 Epistolis ad plures Cardinales di-
 rectis, atque inter alios ad Puccium,
 & Cardinalem tit. SS. quatuor Corona-
 torum; hujus enim Cardinalis sententia
 prævalere videbatur, idque sat aperte
 manifestabat responsum, quod Papa jam
 antea Casalio dederat. Quapropter hic
 Knitghio sese adjunxit, atque ambo Car-
 dinalem tit. SS. quatuor Coronatorum
 adeuntes eidem literas a Volsæo ad eum
 datas tradunt, necnon officiosæ hujus
 salutationis causam exponunt, spe fa-
 cta, Regem grato admodum animo pia
 in eum obsequia suscepturum, dummo-
 do is causæ æquitati faveret. Referunt
 etiam Scriptorum nonnulli, Regem his-
 ce Legatis præter decem aureorum mil-
 lia in eos expendenda, qui eis hac in
 causa opitularentur, plenam etiam de-
 disse potestatem, ut Regis nomine, quic-
 quid

quid illis bene visum fuerit, polliceri Sæcul. XVI.
A.C. 1527.
possent. Ceterum Legati præter dispensationem, quam petebant, transcriptas demandatæ potestatis literas eo modo ac in Anglia conceptæ fuerant, Cardinali exhibuerunt. Hic illas solerter discussit, duosque sat graves in illis deprehendit errores, qui sane Papæ, Regi, ac Volsæo honoris damnum haud reparandum intulissent. Quocirca Legati Cardinalem rogabant, ut ipsemet potestatis literas, quæ nec Henrici consiliis, nec Clementis Papæ honori adverfarentur, conciperet. Annuit Cardinalis, atque ambo Ministri sat contenti recedere videbantur. Nil igitur deerat, nisi ut & ipse Pontifex hisce literis subscriberet, hancque in rem Knigthius, & Casalius Clementem adibant, summis precibus efflagitantes, quatenus nomen atque sigillum suum apponere velit, ut tandem hæc literæ in Angliam transmitti possent.

§. LI.

Opportuna occasio negotium protrahendi a Pontifice excogitata.

Ad hæc Clemens utrique Ministro respondit his verbis: „Minime ignoratis, quam gravi Cæsaris indignationi me exponerem, si ad eum huiusmodi subscriptionis notitia perveniret,

Sæcul. XVI., niret, nec tamen id facere omnino
 A.C. 1527. „ recuso, quamvis haud temere acer-
 „ biora pertimescam mala; non enim
 „ majori adhuc fruor agendi libertate,
 „ quam olim in carcere detentus, imo
 „ etiamnum ut antea hostibus tota cir-
 „ cum Regio obsidetur, illos tamen ad
 „ iram concitare, minus vereor, quam
 „ de amicis meis male mereri. „ Hæc
 utrique Legato proposuit, simulque fi-
 dem fecit, se quævis tentaturum, ut
 eorum Regi satisfaceret: præterea ab
 eis petiit, ut Lautrecum Gallici exer-
 citus Ducem, qui tum Bononiæ agebat,
 cum copiis suis Urbevatum progredi
 compellerent, eo fine, ut coram Cæ-
 sare, abs cuius præscitu se divortii cau-
 sam haud moturum sponndit, obten-
 dere possit, quod ad subscribendas de-
 mandatæ facultatis literas atque dispen-
 sationem a Lautreco vi fuisset compul-
 sus, idque prius Casalio quidem dene-
 gasset, nec tamen pari ratione cum Gal-
 lorum Belliduce agere potuisset, quin
 jus gentium infringeret. His addebat:
 „ Hoc pacto honori meo prospicere,
 „ fractæ fidei calumniam declinare, si-
 „ mulque Cæsarem placare poterò. „
 Cum vero Lautrecus absque Galliarum
 Regis jussu exercitum Urbevatanæ civi-
 tati admovere haud valeret, eaque res
 longioris effet moræ, Henrici Oratores
 medium

medium a Papa propositum rejecerunt; id enim unice in votis habebant, ut totum negotium, priusquam Cæsari innotesceret, plene perficeretur.

Sæcul. XVI.
A.C. 1527.

§. LII.

Facultatis literæ unacum diplomate dispensationis a Papa concessæ.

Quorundam Scriptorum fide discimus, quod Papa tam importunis precibus pulsatus fuerit, ut Volsæo hac in causa agendi facultatem, Regi vero dispensationis diploma concederet, simulque Casalio æque ac Knigthio polliceretur, se progressu temporis novam daturum judicandi potestatem, eidemque Epistolæ eandem adscripturum diem, qua Lautrecus prope Urbevetum venturus esset. His addidit, se sperare, quod hæc agendi ratio, tamque propensus illius animus haud dubie ab Henrico Rege gratus, acceptusque habendus foret. Burnetus insuper observat, ex utriusque Ministri literis haud obscure colligi, quod Papa eo adhuc tempore, quo in arce S. Angeli captus detinebatur, utrumque diploma concesserit, suoque chirographo firmaverit, Rex vero transmissis hisce literis ea ex causa uti reauerit, ne eas a Pontifice libertatis suæ, quam per Anglorum opem recuperare

Burnet hist. de la reform. d' Angl. tom. I. p. 77.

R 4

sperabat,

Sæcul. XVI. rabat, percupido extorsisse redargueretur, præcipue cum aliunde ea, quæ a viro in vinculis detento promittuntur, tanquam irrita haberi possent. Affirmat quoque Dupinus, quod Pontifex Henrico Bullam concesserit, vi cuius eidem permittebat, ut quamcunque vellet, uxorem duceret, quamprimum ejus matrimonium cum Catharina irritum nullumque fuerit declaratum; id vero Le Grandius nec affirmat, nec negat.

De Rupin.
Thoiras hist
d' Angl. t. 5.
p. 251.
Dupin Bibl.
des Aut. Eccl.
t. 13. p. 136.
Le Grand,
t. 6. p. 72.

Ceterum Cardinali tit. SS. quatuor Coronatorum in præmium obsequii, quod Angliæ Ministris præstitit, quatuor aureorum millia fuere oblata, quæ ab eo tamen minime acceptata fuisse videntur, eoquod Volsæus Cardinalis in quadam Epistola circiter uno post mense scripta queratur, quod hic idem Cardinalis munus sibi ab Angliæ Rege oblatum respuisset. Interim Henrici causa per ea, quæ Pontifex agitabat, parum promovebatur; supererat enim decidenda hæc quæstio, an prius matrimonium fuerit validum? Unde Rex parum contentus erat, cum cerneret, quod Annus Christi millesimus quingentesimus vigesimus septimus jam penitus esset evolutus, nil tamen ipse adhuc profecisset.

§. LIII.

§. LIII.

Sæcul. XVI.
A.C. 1527.

Dissidia Lutheranos inter & Zwinglianos.

Cum interea Henricus Rex divortii sui causam ita urgeret, & adhuc, quo se verteret, dubius hæreret, fervebant in Anglia & Helvetia acres admodum altercationes non modo Catholicos inter & Novatores, sed inter ipsos etiam Lutheranos, Zwinglianos, & Anabaptistas. Jamjam memoravimus, quod Lutherus jam ab Anno Domini supra millesimum quingentesimo vigesimo quarto Carolstadii & Zwinglii doctrinam de Eucharistia, & præsentia reali impugnaverit, nunc vero sese utrique Oecolampadius adjunxit, atque eorum sectam in urbe Basileensi divulgans, Missam non esse Sacrificium tradidit, atque insuper potissimam partem rituum Ecclesiasticorum abrogavit, & paulo post ipsam quoque Christi Domini præsentiam in Eucharistia negavit. Insurgebant adversus hosce errores in suis sermonibus Lutherani, qui in Suevia & Bavaria agebant; quapropter Oecolampadius ad illos transmittere cogebatur tractatum, quem de verbis Domini in institutione Sacramenti Altaris conscripsit. Hunc confestim Brentius confutabat, nec ta-

Bossuet Variat tom. I. in 4. p. 87. & suiv.

Sæcul XVI men obmutuit Oecolampadius. Cona-
A C. 1527. bantur Argentinenses Ministri hisce di-
 sputationibus finem imponere, eoque
 consilio Georgium Chafelium Wittem-
 bergam ablegarunt, ut Luthero, ejus-
 que assieclis exponeret, quod scriptis suis
 ultro citroque datis ingentes tumultus
 fuscitarent, atque semetipfos mutuis dif-
 fensionibus eo vel maxime tempore scin-
 derent, quo magis quam unquam, ad
 evertendam Papæ dominationem uniti
 esse deberent, præterea rogabant eos,
 ut quantumvis opinione circa cænam ab
 eis discrepent, illos tamen velut fratres
 habere velint. Verum Lutherus adeo
 non eorum votis annuit, ut etiam re-
 sponderet, se ad reprimendos Zwing-
 lium, & Oecolampadium omnino com-
 pelli, eoquod illi libris suis de Eucha-
 ristia fidelium pacem tantopere pertur-
 barent, ut necesse sit, *vel Zwinglium,*
vel Lutherum Sathanæ Ministrum esse, oportere igitur rem eo perducere, ut hi alios
 haud ultra fallere possent. Post hæc
 Joannes etiam Pomeranus, Billicanus,
 & Brentius suos calamos contra Zwin-
 glianos acuebant, quibus tamen Zwin-
 glius respondit, eique Bucerus, Con-
 radus Pelicanus, & Leon Juda suffra-
 gati sunt.

§. LIV.

Sæcul. XVI.
A.C. 1527.*Lutheri agitatio ob hæc dissidia.*

Ferventibus Sacramentariorum diffidiis illi, qui se *reformatos* dictitabant, nulla communis causæ ratione habita se invicem acriori bello, quam ipsam Ecclesiam proscindebant, quantumvis specietenus quandoque uniti viderentur. Inde vero haud parum deprimebatur Lutheri auctoritas, quam tamen apud illos, qui sub illius auspiciis prætensam reformationem amplectebantur, conservare omni ope & opera contendebat; quapropter tanto opprimebatur dolore, ut etiam verborum arrogantia, qua exterius contra eos tumultuabatur, minime animi sui agitationem sedare posset, quinimo quo ferocius furiis impotentibus debacchabatur, eo minus tolerandum ipsi videbatur, quod nominis sui gloria ab ea etiam factione vilipenderetur, cuius unicum tamen caput ipse solus haberi ambiebat. Præterea doloris, quem inde concipiebat, acerbitas ad ipsum quoque Melanchtonem sese extendebat, *Lutherus*, inquit ille, *horrendas mihi causas perturbationes ob prolixas querelas de suis afflictionibus; dejectus est, & deformatus per scripta non contemnenda. Compassio, & afflictiones Ecclesie extreme me affligunt;*

Melanchton
l. 4. ep 76. ad
Camerarium

Sæcul. XVI
A.C. 1527. gunt; vulgus incertum in partes secedit; nisi Deus perpetuo se Ecclesie adfuturum promississet, ejus ruinam veteres ob dissensiones timerem; nimis enim certum est illud: disputando veritas amittitur.

§. LV.

Monstrum Ubiquitatis a Luthero productum.

Bossuet l. cit. p. 105.
Florim. Ray. de orig. hæc. l. 2. c. 14.
G. Callisti judic. & Rayn. ann. 1527. n. 55.

Interim Lutherus nimio disputandi æstu abreptus in alium incidit errorem; docebat enim, *Corpus Christi Domini, æque ac ejus Divinitatem esse ubique.* Hac vero ratione absonam hancce doctrinam fulcire conabatur: *Humanitas Christi Domini est unita Divinitati, ergo humanitas est ubique sicut ejus Divinitas. Humanitas Christi est ad dexteram Dei, quæ est ubique, ergo etiam humanitas est ubique, atque ita Christus Dominus homo ubique est: in cælo fuit, antequam descenderet: in tumulo, antequam sepeliretur, eo etiam tempore, quando Angeli dixerunt: Non est hic.* In errorem adeo enormem prolapsus est Lutherus, postquam sese Zwinglianorum doctrinæ non minus falsæ opponere nitebatur. Aferebant enim illi, *quod ne divina quidem potentia Corpus Christi in duobus locis poni possit*, eo autem errore præsentiam realem Corporis Christi in Eucharistia evertebant. Nec deerant tamen Lutheri discipu-

scipuli, qui insulsam ejus opinionem Sæcul. XVI. A.C. 1527.
 quantocius propalare nitebantur, ac quicquid novitatem saperet, avide excipiebant. Hos inter haud infimus erat Jacobus Le Fevre, qui vulgo Schmidelinus vocabatur; proin *Ubiquistarum* nomen fortiebatur illa Lutheranorum factio, quæ ut præsentiam realem Corporis Christi in Eucharistia propugnaret, licet transubstantiationem negaret, assererat tamen Corpus Christi æque ac ejus Divinitatem ubique esse. Docuit primo Lutherus hunc errorem in quodam libro, quem ad propugnandum Luther. ser. quod verba stant. t. 3. Callist. judicium n. 4. & seq. literalem S. Paginæ sensum Anno Christi millesimo quingentesimo vigesimo septimo conscripsit: Cum vero hanc opinionem apud suos plurimum invalescere cerneret, eandem majori cum pertinacia tuebatur in Confessione fidei, quam paulo post præfatum librum edidit.

In postremo hoc libro asserit, *parum referre, an in Eucharistia panis maneat, vel auferatur*; magis tamen rationi congruum videri, si adstruatur *panis, carneus, & vinum sanguineum*; novo hoc dicendi genere Lutherus corpoream, quam panem inter & vinum statuit, unionem exprimebat; hæc autem verba *impanationem* inferre videntur, idque sæpius ipse Lutherus innuit, suaque explicandi *methodo*

Sæcul XVI
A.C. 1527.

thodo non raro longius, quam ipsemet intenderat, abripietur; nec dubitari potest, quin ejusmodi propositiones, quamdam panis cum carne, & vini cum sanguine mixtionem inferant, quæ admodum crassa, ac nullo pacto toleranda Melanchtoni videbatur, *locutus inquit, Luthero super hac mixtione, quæ multis videtur ingens paradoxum, decisive reposuit, nihil se hic mutare velle. Ego vero Lib. 4. ep. 26. opportunum non judico, hanc materiam aggredi, perinde ac si diceret Melanchton, non consentio Luthero, nec tamen eidem contradicere audeo.*

§. LVI.

*Prætensæ Reformationis fundamenta
mutuis hisce diffidiis everfa.*

Interim hæc disputationes, quæ non sine magna animorum contentione sæpius utrinque agitabantur, reformationem recte sentientibus passim invisam reddebant; credebant enim novi hi reformatores, omnia decidi posse per solam auctoritatem sacri Codicis, præter quem nullum alium judicem admittebant; & nihilominus super ipso hujus sacrae Paginae sensu continuo inter se litigabant, quinimo utrinque scindebantur circa aliquem illius textum, qui tamen ceteris omnibus magis clarus esse debeuit.

debuisset, eo quod in eo de ipsa Christi Do-
 mini suprema voluntate agatur. Unde tam
 illi quam isti inclamabant: *Clara sunt*
omnia, non nisi lectione opus est. Legit Lu-
 therus tam evidens sacræ paginæ testi-
 monium, & nihil magis impium, ac
 temerarium censuit, quam literalem
 illius sensum negare. Legit & Zwing-
 lius, & nihil credidit magis absurdum,
 magisque crassum, quam eundem sen-
 sum admittere. Quapropter illis Eras-
 mus unacum omnibus Catholicis repo-
 nebat, *vos omnes provocatis ad Scriptu-
 ram: uterque ergo, antequam legem mundo
 præscribatis, inter vos convenite* (*).

Sæcul. XVI.
 A.C 1527.

Lib. 17. 3.
 l. 19. 3. &
 113 59. p.
 2102. & seq.

§. LVII.

Disputatio a Bernensibus instituta.

Sub idem tempus Bernenses in Helve-
 tia ignominiam reparare satagebant,
 quam Zwingliani ex sinistro Badensis
 disputationis successu (ut supra memi-
 nimus,) sibimet ipsis inurebant; qua-
 propter ut Ministrorum altercationes so-
 pirent, die decima septima septembris
 Anno Christi millesimo quingentesimo
 vige-

Sleidan. in
 Comm. edit.
 1526. l. 6.
 p. 182.

(*) *Observes velim, quod Continuator to-
 tum hunc Paragraphum ex Bossuetii Meldensis
 Historia Variationum lib. 2. mihi fol. 85. vix
 non de verbo transcripserit.*

Sæcul. XVI
A.C. 1527.

vigesimo septimo encyclicas dederunt literas, quibus ad septimam Januarii diem anni sequentis disputationem indicabant. Vocaverant ad eam non modo ceteras gentis suæ Tribus, sed etiam Constantiensem, Basileensem, Sedunensem, & Lausanensem Episcopos, quibus publico edicto injunxerunt, ut vel per seipfos, vel per suos Theologos adessent, indicta etiam pœna privationis omnium bonorum, quæ in Helvetia possiderent. Præscribebant autem Bernenses nationis suæ Ecclesiasticis sequentem agendi normam. I. In omni actione non alia allegabitur auctoritas quam Veteris, & novi Testamenti. II. Cuncta in hoc colloquio agitabuntur modeste, absque convitiis, aut verbis mordacibus. III. Cuilibet liberum erit sententiam suam edicere, hancque in rem nominabuntur Scribæ, qui cujuslibet opinionem notabunt. IV. Quæcunque in hoc colloquio decernentur, inviolabili lege in omnibus Helvetiæ Pagis observabuntur. His præmissis exponebantur quæstiones ibidem agitandæ; ut vero, qui interesse jubebantur, præparati accederent, decem divulgabantur propositiones, quas Ministri Bernenses Franciscus Kolbus, & Bertholdus Hallerus ex S. Literis stabilire ac firmare spondebant.

§. LVIII.

§. LVIII.

Sæcul. XVI.
A.C. 1527.*Articuli in hoc colloquio propositi,
ac decreti.*

Erant autem sequentes articuli: I. Vera Ecclesia, cujus unicum caput est Christus, ex solo Dei Verbo oritur, atque in eodem fundatur, proin aliam vocem non esse audiendam patet. II. Eadem Ecclesia non potest alias ferre leges præter illas, quæ Verbo Dei innuntantur, unde traditionibus humanis, quæ Ecclesiasticæ vocantur, credendum non est, nisi quatenus huic Dei Verbo consonæ sunt. III. Christus Dominus pro omnibus totius mundi peccatis satisfecit, quocirca ille renunciat Christo, qui aliam peccata expiandi viam adstruit. IV. Ex S. Literis probari nequit, vere ac realiter Corpus & sanguinem Christi recipi. V. Ritus Missæ, in qua Christus exhibetur, ac offertur Patri cœlesti pro vivis & mortuis, sacræ Paginæ adversatur, ac injuriam infert Sacrificio, quod Christus Dominus pro nobis obtulit. VI. Solus Jesus Christus tanquam intercessor, & generis humani Advocatus apud Deum Patrem invocandus est. VII. In sacris literis expressum non habetur, post hanc vitam dari locum, in quo animæ purgentur, *Hist. Eccles. Tom. XXXV.* S atque

Sleidam. l. c.

Sæc. XVI. atque inde infertur preces, ceremonias,
A.C. 1527. anniversaria pro mortuis celebrata, ce-
 reos, lampades, & alias ejusdem ge-
 neris res defunctis nihil prodesse. VIII.
 Statuæ atque imagines ad cultum fide-
 lium propositæ sacræ paginæ repugnant.
 IX. Nulli cujuscunque sit conditionis
 vel status matrimonium interdicitur,
 eoquod S. Scriptura id non modo per-
 mittat, sed & ad evitandam fornicatio-
 nem præcipiat. X. Impudici, & forni-
 carii ex sacræ Paginæ testimonio ab
 Ecclesia sunt separati, atque ideo nihil
 magis Presbyteratus ordini adversatur,
 quam quod Sacerdotes in turpi & im-
 puro Cælibatu vivant.

§. LIX.

*Bernenses a ceteris Helvetiis de impe-
 diendo hoc colloquio datis literis
 admoniti.*

Sleid. ibid.
p. 183.

Has propositiones Bernenses Helve-
 tii ad omnes reliquos Pagos trans-
 mittebant, eosque hortabantur, ut &
 ipsi colloquium accederent, & adeuntibus
 itineris securitatem procurarent. Ve-
 rum Lucernenses, Suitii, Sylvenientes,
 Tugienfes, Gloronenses, Friburgenses,
 Urienses, & Soloturni literis ad Ber-
 nenses datis eos impense monebant, ut
 ab instituto desisterent, ac fœderis in-
 ter

Sæc. XVI.
A.C. 1527.

ter se initi memores Badensis Disputa-
tionis conclusioni infisterent, quam i-
psimet utpote præcipui illius auctores
approbassent; addebant etiam, minime
licere ulli populo, aut Provinciæ nor-
mam Religionis ac doctrinæ mutare,
sed hoc pertinere ad Concilium Gene-
rale. Postmodum illos obtestabantur,
ac efflictim rogabant, ut a tam horren-
do scelere desisterent, ne se seduci per-
mitterent ab exili exterorum numero,
qui unice ad turbandam fidem intenti
essent, potius vero in Patrum suorum,
ac Majorum fide immoti persisterent, in
qua tam celebre sibi nomen acquisivis-
sent, cum toties de hostibus suis victo-
riam reportantes plurimum ditionis suæ
imperium protendissent; quapropter se
sperare aiebant, quod benigne ab eis ex-
cipiendi forent, cum valde æqua sit eo-
rum petitio, si vero fecus fecerint, de-
clarabant, quod nec Oratores suos ad
colloquium decernere, nec illis, qui Ba-
densi conventui non intererant, liberum
transitum concedere possint.

Præterea præfati quatuor Episcopi
ad Bernensium epistolam dato respon-
so demonstrabant, sacram Scripturam,
etsi maximæ foret auctoritatis, nequa-
quam tamen pro sola habendam esse
regula, quam in dijudicandis ac defi-
niendis fidei controversiis sequi oportere;

Sæcul. XVI.
A.C. 1527. ret; quemlibet enim in suo sensu abundare sacramque Paginam pro suo arbitrio interpretari dicebant. His subjungebant, Bernensem conventum nequaquam legitimum esse judicem in quæstionibus, quæ fidem, & Scripturæ sacræ sensum concernunt, imo non modo judicem non esse legitimum, sed etiam omnino suspectum; Bernenses enim, eoquod Zwinglio, & Oecolampadio favere constituissent, abs dubio illis quoque causam adjudicatos. Indicabant insuper aliam viam a lege divina stabilitam, per quam fidei controversiæ definiri, ac dubia dilucidari possent; nimirum causam ad summum Pontificem referant, ejusque decisionibus sese submittant; potissimæ enim hæreses, quæ hucusque Ecclesiam inferunt, ex sacris literis perperam intellectis aut explicatis ansam traxerunt; denique concludebant Episcopi, quod Tribunal a Bernensibus propositum nullatenus revereri valeant, eoquod ei nullum omnino in rebus fidei iudicium ferendi jus, aut auctoritas suffragaretur. Ast pia hæc monita suo caruere successu, & Bernenses his omnibus contemptis præstituta die suum celebrarunt colloquium, ad quod tamen Episcoporum nullus, etsi vocati essent, accessit.

§. LX.

Sæc. XVI.
A.C. 1527.

Religionis mutatio in Suecia.

In Suecia Gustavus Rex novis Lutheri *Luccenius l. 6 rer. Suev.*
 opinionibus delusus, totus in eo erat, *Joa. Magn. hist. Suec. l. 24.*
 ut suos quoque subditos eidem, in *Flor. Raym. l. c. l. 4. c. 15.*
 quam prior se præcipitem egit, ruinæ
 involveret. Unde Olai Petri, qui Lu-
 theri affecta erat, suggestionibus stimu-
 latus, Episcopos in fide constantes e
 Regno expulit, ex tribus duas decima-
 rum partes ad alendum exercitum Ec-
 clesiis abstulit, atque argentea templo-
 rum vasa ad solvendum æs alienum,
 quo Regnum gravabatur, impendit.
 Præterea Episcopos vi compulit, ut ei
 arces Ecclesiæ proprias cederent, No-
 bilibus vero concessit, ut bona, quæ Ma-
 jores eorum oppignoraverant, ab Ec-
 clesiasticis soluto pignoris pretio repe-
 tere possent; hanc legem Episcopi, pau-
 cissimis exceptis, ipsimet consensu sua
 firmabant.

§. LXI.

Depressa Episcoporum auctoritas.

Cum vero Cleri ac præcipue Præsu-
 lum, insuperhabitis hisce vexatio-
 nibus, ingens adhuc esset auctoritas,
 Rex eos, ut impiis ejusmodi consiliis

Sæcul. XVI. resistendo impares essent, magis magis-
A.C. 1527. que deprimere constituit. Hunc in fi-
 nem Ordinum comitia Arosiæ celebra-
 da indixit, ac convenientibus cunctis
 Regni Proceribus, lautissimum adorna-
 vit convivium, sedium vero ordinem ita
 immutavit, ut a Rege proximi sede-
 rent Senatores, regnique Proceres, ac
 demum hos sequerentur Episcopi, Equi-
 tes, tandemque Sacerdotes, ac Cives,
 licet pro veteri more Præsules utrinque
 Regis latus stipassent, eo autem ab-
 sente, Archiepiscopus, etiam præsentem
 Regni Administratorem primum locum
 occupasset. Postera die Episcopi hanc
 agendi rationem indignati, in Ecclesia
 S. Ægydii unacum toto Clero conven-
 tum agebant, clausisque januis, quid
 hac in re agendum, deliberabant. Hos
 inter Lincopingensis Episcopus pronun-
 ciabat, haud sibi ignota esse Regis con-
 filia; illum enim non aliud moliri, ni-
 si ut Episcopos, quos jamjam honoribus
 suæ dignitati debitis, bonis, ac arcibus
 spoliasset, demum etiam ad simplicium
 Presbyterorum ordinem deprimeret,
 hacque via omnem eis auctoritatem ad-
 dimeret.

§. LXII.

Sæc. XVI.
A.C. 1527.*Lincopingensis Episcopi constantia.*

Ad hæc Petrus Arosiensis Episcopus, aliusque Prælati respondit, quod Regis mandato sese subicere parati essent. Horum verborum indignitate Lincopingensis Episcopus tantopere commovebatur, ut ei palam declararet, nonnisi a stultis, atque insensatis hominibus ejusmodi consilia ac verba expectari posse. „ Si nobis, prosequeretur Episcopus, Rex bona nostra vi eriperet, re voluerit, eripiat, per me licet, id tamen nobis consentientibus nunquam faciat; & si demum nos ad villium mancipiorum conditionem redigat, num propterea Ecclesiæ libertatem ore & opere tueri non audebimus? „ Ceteri hoc sermone excitati in eandem cum Episcopo sententiam abibant, ac juramento spondebant, se semper summi Pontificis obsequio addictos fore, nec unquam quamdiu vita superstites essent, ullum Lutheranæ hæresis articulum adoptaturos; interim vero, salva Religione, tempori cessuros, donec vera Religio prævaleret, ut brevi fore sperabant. Verum haud diu firma perstitit pia eorum voluntas; cum

Loccen. l.cit.

Sæc. XVI.
A.C. 1527.

enim Rex in quodam conventu proposuisset, ærarium hostium invasionibus necnon ambitione Præfulum atque Episcoporum esse exhaustum, ac proin ad belli expensas, Legationes, arcium munitiones, Regii Principis nuptias, Aulicorum sustentationem, necnon ad præmia Nobilibus, & de regno bene meritis debita, Regi nova suppeditanda esse subsidia, facile tam Nobiles, quam plebæi amplioris præmii spe pellecti, una omnes lubenti animo Regis petitioni concesserunt.

Solus Lincopingensis, cujus constantiam, animique firmitatem ceterorum ignavia minime corruperat, intrepide Regi sese opposuit, „Rex potentissime, „ inquit, tibi tanquam supremo Principi „ nostram fidem, obedientiam, ac submissionem jurato obstrinximus, ea tamen lege, ne nobis quicquam præcipias, quod Conciliis, ac summorum Pontificum Decretis adversetur; nobis integrum non est Ecclesiarum Patrimonium, & bona nostra, quæ ad illas spectant, alienare; tenemur non modo dare Cæsari, quæ sunt Cæsaris, sed etiam Deo, quæ sunt Dei. „ Rex hujus sermonis vi tactus, ad Senatores suos, Proceresque se convertit, eorumque sententiam rogavit, sciscitatus, quid ipsis de Episcopi oratione videre-

deretur? Ad hæc Turcio Hanfonius, Sæcul. XVI.
A.C. 1527.
quem Loccenius Turro-Joannem appel-
lat, supremus Marefcallus ceterorum
nomine perorans inquit, æqua sunt Lin-
copignensis Epifcopi verba, idem etiam
omnes mei focii sentiunt. His Rex
magis adhuc ira accenfus, non fine ſto-
macho confeffum reliquit, atque ad ar-
cem feſe recepit.

§. LXIII.

*Supremus Marefcallus cum ceteris feſe
ſubmittens.*

Verum Turcio Hanfonius biduo poſt
Nobilium, Senatus, populique pre-
cibus expugnatus, Regis voluntati ces-
ſit: mox vero ad Regem decerneban-
tur inter Proceres nobiliſſimi, qui ejus
iram placarent, rogarentque omnium
nomine, ut ad comitia redire velit. Si-
mulabat primo Guſtavus eorum votis
reluctari, verum quarto poſt die ad con-
ventum reverſus eſt, ubi cuncta ad ejus
ſententiam gerebantur.

§. LXIV.

*Edictum pro Rege ſancitum, moxque
effectui dandum.*

Igitur promulgatur edictum, quo Epis-
copis divitiarum copiam imminuere

S 5

ſan-

Sæcul.XVI. fanciebatur, eo obtentu quæsito, quod hæ
A.C.1527. nonnisi ad luxum, vitæ licentiam, & eo-
 rum rebellionem opportunum illis sup-
 peditarent medium; illis igitur non
 nisi ea, quibus honeste vivere possent,
 relinqui præcipiebatur. Præterea fan-
 citum, cunctas fidei controversias dun-
 taxat a celebribus Theologiæ Doctori-
 bus decidendas, in Ecclesiis tantummo-
 do purum Verbum Dei prædicandum,
 ac denique illos, qui Regi minus affecti
 essent, severe puniendos esse. Quan-
 tocuius hoc edictum effectui datur, ac
 ipse Rex cum equitum agmine cun-
 ctas percurrit Provincias, ut hujus legis
 executionem urgeret. Unde omnes E-
 piscoporum redditus, qui honestæ susten-
 tationi supererant, Regis ærario addi-
 cuntur, ac præter arces, ferme tredecim
 millia possessionum seu prædiorum, quæ
 ad Clericos spectabant, Regi, Equitum-
 que Ordini traduntur. Paulo post Gu-
 stavi Regis exemplum sequebantur O-
 laus Petrus, pluresque alii Doctores Lu-
 therani, qui in præcipuis Sueciæ Eccle-
 siis Rege præsentate ad populum dice-
 bant: Parochorum quoque potissimi
 publice Lutheri hæresin amplecteban-
 tur, ac Dei cultum in lingua vulgari in-
 troducebant. Inter hosce tumultus Lin-
 copignensis Episcopus in Poloniam se-
 cessit, ceterique Præsules in suis ædibus
 lati-

latitantes quiete subsistebant. Plurimi Sæc. XVI.
 autem Religiosi, & quidem alii liberio- A.C. 1527.
 ris vitæ studio, alii vexationum metu ad-
 acti, e suis monasteriis excedebant.
 Episcopus quoque Scarcensis necnon
 supremus Marefcallus cum aliis Catho-
 licis in fide magis constantibus Dalecar-
 liam profugerunt, ubi factionem suo-
 rum conflagabant, quæ tamen brevi a Gu-
 stavi exercitu dissipata est. Postquam
 igitur Rex omne periculum eluctatus
 erat, aperte se Lutheri asseclam exeun-
 te hoc anno profitebatur, ac Olaum Pe-
 trum Stockolmiensi Ecclesiæ, Lauren-
 tium vero Petrum Upsalensi Archiepis-
 copatui præficiebat.

§. LXV.

*Varii Cardinales a Clemente VII.
 creati: Electio prima quinque
 Cardinalium.*

Quamvis Clemens Papa a primis
 Pontificatus sui auspiciis semper
 assiduis ageretur tumultibus, nihilo-
 minus quarta etiam vice quosdam Præ-
 sules ad Cardinalium dignitatem pro-
 movit. Hos inter in prima electione,
 quam die tertia Maji feria sexta habuit,
 quinque creavit Cardinales, quorum pri-
 mus erat Benedictus Accoltius patria
 Florentinus, origine autem Aretinus. Is
 pri-

*Ciaccon in vit.
 Pontif. tom. 3
 p. 477.
 Ughel. tom. 5
 Ital. Sacra.*

Sæcul. XVI. primo Gadensem, postea Cremonensem, A.C.1527. ac denique Ravennatem rexit Ecclesiam, postea Cardinalium Collegio adscriptus, titulum S. Eusebii adeptus est. Alter erat Augustinus Spinola Savonnæ natus, Perusienſis Episcopus, ac Presbyter Cardinalis tit. S. Cyriaci. Tertius fuit Nicolaus Gaddi itidem Florentinus, Ferinensis Episcopus, Cardinalis Diaconus tit. S. Theodori, postea D. Mariæ in via lata; præfuit etiam Sarlatensi Ecclesiæ, ac demum Archiepiscopatu Cofentino. Quartus nominabatur Hercules Gonzaga de Mantua, Francisci Mantuani Marchionis, & Isabellæ Estensis Filius, ejusdemque urbis Episcopus, Tarraconensis Archipræsul, ac Cardinalis Diaconus tituli S. Mariæ Novæ. Quintus denique creabatur Marinus Grimani patria Venetus, Aquilejensis Patriarcha, primo Cardinalis Presbyter tit. S. Vitalis, postea S. Marcelli, & S. Mariæ Trans-Tiberim, qui legatione in Umbria fungebatur, atque in Marchia Tarvisana Cenedanus, ac denique Portuensis Episcopus renuntiatus est.

§. LXVI.

Altera creatio octo Cardinalium.

Ciacon. l.cit. p.488. & seq. Die vigesima prima Novembris summus Pontifex in arce S. Angeli altera

tera jam vice octo Cardinales creabat. **Sæcul. XVI.**
 Hos inter primus erat Antonius Sanse- **A.C. 1527.**
 verinas patria Neapolitanus, Hierosoly-
 mitani Ordinis Eques, Presbyter Car-
 dinalis tit. S. Sufannæ, postea S. Apol-
 linaris, & S. Mariæ Transtyberim.
 Præfuit Episcopus Ecclesiæ Conversa-
 næ, Prænestinæ, Sabinensi, & Portuensi.
 Alter erat Vincentius Caraffa Neapo-
 litanus, Presbyter Cardinalis ad S. Pu-
 dentianam, postea tit. S. Priscæ, & S.
 Mariæ Transtyberim, rexit Ecclesias
 præter alias Albanensem & Prænesti-
 nam. Tertio loco vocabatur Andreas
 Matthæus Palmerius itidem Neapolita-
 nus, Archiepiscopus Materanus, Pres-
 byter Cardinalis tit. S. Clementis, po-
 stea Sarni, Lucernæ & alibi Episcopus.
 Quartus eligebatur Antonius a Prato
 natione Gallus in Arvernus apud Issio-
 dorum natus, Franciæ Cancellarius, Se-
 nonensis Archiepiscopus, atque in Gal-
 liis Papæ Legatus. Quintus erat Hen-
 ricus de Cardona Hispanus Urgellæ
 natus, Episcopus Barcinonensis, Pres-
 byter Cardinalis tit. S. Marcelli, postea
 Montis regalis Archiepiscopus, ac Si-
 ciliæ Prorex. Sextus fuit Hieronymus
 Grimaldi patria Genuensis, Venefri E-
 piscopus, Cardinalis Diaconus tit. S.
 Georgii in Velabro, postea Barenfis Ar-
 chiepiscopus. Septimo loco Papa ad
 purpu-

Sæcul. XVI. purpuram evexit Pyrrhum de Gonzaga, A.C. 1527. Mutinensem Episcopum, ac tit. S. Agathæ Diaconum Cardinalem. Postremus erat Sigismundus Pappadoca Nobilis Neapolitanus, Venusinus ac Tropeensis Episcopus, qui tamen in patria ut Episcopus vivere, quam Vaticana purpura decorari maluit.

§. LXVII.

Duo Cardinales in bina promotione creati.

Ciacon. l.cit. p. 446. & 500 **T**ertia Cardinalium electio facta est die septima Decembris, cum Papa adhucdum in arce captus detineretur, ubi nonnisi unicum creavit Cardinalem. Is erat Franciscus Quignones natione Hispanus, Comitis de Luna Filius, primo supremus FF. Minorum Minister, ac demum Cardinalis tit. S. Crucis in Jerusalem. Hujus Viri electionem Carolus V. Imperator insolito prorsus gaudio excepit eundemque a confessionibus ac consiliis ascivit.

Die vigesima Decembris idem Papa jamjam in libertatem assertus alteram habuit Cardinalium promotionem, in qua tamen nonnisi Franciscum Cornarum seu Cornelium ad purpuram nominavit. Is erat patria Venetus, ac primo titulum S. Pancratii, postea S. Cæcilie

Cæciliæ, tum S. Praxedis, ac denique S. Mariæ transtyberim assumpsit. Sæcul. XVI. A.C. 1527.
 A puero inter arma adoleverat, atque Abduensi interfuit prælio, in quo Galli de Venetis victoriam reportabant. Fratrem habuit Andream Spalatrensem Archiepiscopum, qui in Lateranensi Concilio sub Pontificatu Leonis X. ingentem nominis sui famam sibi comparabat.

§. LXVIII.

Cardinalis Jacobatii obitus.

Excedebat novorum Cardinalium numerus dignitates, quæ in sacro Purpuratorum Collegio vacabant. Hoc enim anno Christi millesimo quingentesimo vigesimo septimo nonnisi quatuor eorum obiisse reperiuntur. Hos inter primus erat Dominicus Jacobattius patria Romanus, Christophori Jacobatii Filius. Vir erat ingenii excellentia insignis, qui fœdere nunquam interrupto scientiam cum virtute conjungens præcipue in juris Canonici studio eminuit. Anno Salutis millesimo quadringentesimo octogesimo quinto ab Innocentio VIII. Consistorialis Aulæ Advocatus, dein Romanæ Rotæ Auditor anno Christi millesimo quadringentesimo nonagesimo tertio renunciatus, postea

Ciaccon. in Leon. X. to. 3 p. 383. Ferd. Ugel. in addit. ad Ciaccon. Auberi vit. Card. Panv. de Rom. S. Pontif.

Sæcul. XVI. A.C. 1527. stea Anno millesimo quingentesimo ter-
 tio, Vaticanæ Basilicæ Canonicus pro-
 mulgatus est. Præfuit Lucerinæ, Mas-
 fanæ, & Grossetanæ Ecclesiis, post-
 quam sub Sixto IV. Innocentio VIII,
 Alexandro VI, Julio II, ac denique sub
 Leone X. summis Pontificibus in variis
 Romanæ Curiaë negotiis egregiam na-
 vabat operam. Tandem ab eodem
 Leone X. die secunda Julii Anno post
 Christum natum millesimo quingesti-
 mo decimo septimo Cardinalium Colle-
 gio adscriptus est. Ejusdem Mensis die
 Anno millesimo quingentesimo vigesi-
 mo septimo ex monumentis Vaticanis
 Jacobatium decessisse comperimus, Cia-
 conius tamen, Cabrera, aliique obitus
 sui tempus ad Mensẽ Januarium anni
 sequentis revocant. Sepultus est in
 Ecclesia S. Thriphonis; ita enim ipse
 testamenti tabulis disposuit, unde non-
 nullorum error corrigendus est, qui eun-
 dem in templo S. Eustachii conditum
 referunt; quippe hi Jacobatium Cardi-
 nalem cum ejus Nepote Christophoro
 Jacobatio confundunt. Ceterum hic
 Cardinalis Republicæ literariæ reliquit
 tractatum de Conciliis, qui iteratis præ-
 lis excusus decimum octavum efficit
 volumen Collectionis, quam Pater Lab-
 bæus concinnavit. In eo Jacobatius
 agit de loco Concilii, inquit etiam,
 cui

cui Synodum congregandi potestas Sæcul. XVI. A C 1527.
 competat, quo tempore Concilia cele-
 brari debeant, quinam eisdem assistere
 teneantur, utrum Papa auctoritatem
 suam a Generalibus Conciliis derivet,
 vel ejusdem potestas a Conciliis re-
 stringi valeat; an Cardinales, relicto Pa-
 pa, Synodum congregare, Papa vero
 hæresis infimulari possit? Denique agit
 de appellationibus a Papa ad Conci-
 lium, ac quærit, ob quas causas Pon-
 tificex exauctorari valeat? *Scriptis præ-*
terea, ut inquit Ciaconius, tractatum de Ciacon. l. c. p. 384.
donatione Constantini Imperatoris, necnon
alium de utroque gladio in Ecclesia, neu-
 trum autem horum typis vulgatum
 arbitror.

§. LXIX.

Scaramutiæ Trivultii Cardinalis
mors.

Alter hoc anno obiit Scaramutia Tri- Ciacon. l. cit. p. 382.
 vultius, qui Patrem habuit Joannem
 Firmum Trivultium Joannis Jacobi Ma- Aubery l. cit.
 rescalli fratrem, Matrem vero Margari- Franc San-
 tam Velpergiam ex nobilissima Medio- sov. de nobil.
 lanensium prosapia ortam. Eminebat Ital
 jurisprudentiæ fama in Universitate Pa- Andr. Victo-
 piensi, ac postea a Ludovico XII. Gal- rel. in addit.
 lorum Rege in Franciæ Consiliarium. ad Ciacon.
 adscitus, demum anno reparatæ salutis
Hist. Eccles. Tom. XXXV. T mil-

Sæc. XVI. millesimo quingentesimo nono Comen-
 sem Episcopatum adeptus est. Adver-
 sabatur Cardinalibus, qui Pisis con-
 tra Julium II. conventum agebant, un-
 de ab eodem Pontifice Romam vocaba-
 tur, ut Lateranensi assisteret Concilio,
 cui tamen nonnisi sub Leone X. inter-
 esse poterat, atque ab eodem sub annum
 Domini millesimum quingentesimum
 decimum septimum Cardinalis tit. S.
 Cyriaci creatus fuit. Seligebat illum
 Galliarum Rex, ut Romæ regni nego-
 tia procuraret; Rexit vero Episcopus
 præter Comensem, etiam Viennensem,
 ac postea Placentinam Ecclesiam, quam
 tamen tribus ante obitum annis Ca-
 talano Trivultio ex Fratre Nepoti ces-
 sit. Ast pulsus ex Italia Gallis, Scara-
 mutia Cardinalis tum Romæ agens a
 Francisco Sfortia Mediolanensium Du-
 ce cunctis beneficiorum suorum rediti-
 bus spoliatus est, capto etiam Francis-
 co I. Galliarum Rege in obsidione Pa-
 piensi Hispani, qui Mediolani Ducatum
 occuparunt, in retinendis Sacramutiæ
 proventibus perstiterunt. Nihilomi-
 nus tamen Cardinalis Romæ substitit,
 donec Borbonii Dux cum exercitu suo
 urbem aggressus, obsidionem pararet,
 tum vero, cum facile Metropolis hujus
 deprædationem præsentiret, permitten-
 te Papa discessit, & ad Diœcesin Vero-
 nensem

nensem se contulit. Ibi in Cœnobio, Sæcul. XVI. A.C. 1527.
 quod vulgo *Maguzani* dictum, prope lacum Gardæ situm est, obiit die nona Augusti anno millesimo quingentesimo vigesimo septimo, ibidemque sepultus est sine ulla funebri pompa. Viros scientia claros summopere coluit, eosque ad mensam habere voluit, unde ex eruditibus illorum colloquiis plurimum profecit.

§. LXX.

Ferdinandi Ponzetti Cardinalis extrema.

Inter Cardinales, qui hoc anno decesserunt, tertius erat Ferdinandus Ponzettus, patria Neapolitanus, quamvis eum Florentini scriptores suum faciunt civem; contendunt enim illi, Ferdinandum fuisse Filium Francisci Lippi, cuius Avus Neapoli excessit, filius vero Florentiæ natus est Anno Christi millesimo quadringentesimo quadragesimo quarto, ibidemque inter cives adscitus, suam protraxit familiam, quocirca Florentini Ferdinandum nonnisi origine Neapolitanum fuisse affirmant, idque testatum faciunt ex quodam monumento, quod Romæ in Ecclesia S. Maria de Pace hodieum visitur. Ceterum Ponzettus plurimos vitæ suæ an-

*Ciacon. l. cit.
 Gorimb. l. 6.
 hist. dirept.
 urbis.
 Ughel. in Ital. sacra.
 Aubery vies Card.
 Scipio Ammirat in hist. Flor.*

Sæcul. XVI.
A.C. 1527.

nos ad Romanæ Ecclesiæ obsequium impendit, demum vero a Leone X. ærarii Apostolici Præfectus, inde Episcopus Melphitensis, Grossetanus, ac tandem Anno millesimo quingentesimo decimo septimo Mense Julio Cardinalis renuntiatus est. Equidem Garimbertus testatur, Ponzettum professione Medicum, ac divitiis abundantem, sexaginta aureorum millium pretio purpuram emisse, verum exigua admodum fides huic auctori adhibenda, eo quod abs ullo teste talia scripserit, & aliunde ejus fides multum suspecta, & primævo indolis vitio ejus lingua nimium maledica comprobetur. Virum hunc potius meritorum splendore Cardinalitiam dignitatem, quam juxta Ciaconium nonnisi octogesimo ætatis suæ anno obtinuit, plurimum illustrasse, suaque prudentia, ac morum comitate ingentem sibi laudem comparasse constat. Præfuit Ecclesiæ Melphitensi eo tempore, quo hæc civitas a Lautreco Franciæ Regis Belliduce ingenti civium clade per Gallos devastata, ac pene diruta fuit. Germani, postquam Romanam urbem occuparunt, indigno prorsus modo hunc Cardinalem habebant, illumque asino impositum per urbis plateas tanta barbarie ac furore circumvehebant, ut purpuratæ dignitatis contemptum ingemiscens,

scens, ex mœrore animi die secunda Sæcul. XVI.
 Septembris hoc anno decesserit, post- A.C. 1527.
 quam nonagesimum ætatis suæ annum
 expleverat. Ciaconius obitus sui tem-
 pus ad Mensẽ Martium anni sequen-
 tis rejicit, id tamen adversatur sepul-
 crali inscriptioni, quæ in templo S. Ma-
 riæ de Pace legitur, ubi etiam sepultus
 quiescit in Sanctæ Birgittæ Sacello,
 quod a fundamentis extruxerat; hoc
 vero monumentum Jacobus Ponzettus
 Melphitensis Episcopus erigi curabat.

Scripsisse fertur tractatum de Sacra-
 mentis Adriano VI. Pontifici nuncupa-
 tum, item tres libros de venenis; de
 Physica volumen unum; alterum de
 origine animæ, ac denique de Philo-
 sophia naturali libros sex, quos Romæ
 edidit Jacobus Mazochius Anno mille-
 simo quingentesimo vigesimo.

§. LXXI.

Francisci Armellini fatum.

Postremus tandem erat Franciscus Ar- Ciac. in Leon.
 mellinus patria Perusinus non adeo X p. 389.
 nobili prosapia ortus; quippe, si tamen Aubery vie
 Garimberto fides, parentes ejus divitiis des Cardin.
 augebantur ex pecuniis, quas ab aliis Garimbert.
 mutuo acceperunt, ac solutione non fa- l. 6. hist. de
 cta auffugerunt; recenset idem quoque dirept. urbis.
 Scriptor, quod eorum Filius Romam

T 3 delat-

Sæcul. XVI. delatus ibidem sedem suam fixerit, ac
A.C. 1527. primo litigantium jura apud judices
 persequi, tandemque plura alia ejusdem
 generis negotia non adeo honorifica
 tractare cæperit. Nihilominus sagaci-
 tate sua tantum valuit, ut Leonis X. Pa-
 pæ gratiam aucupatus, non raro eidem
 pecuniarum suppetias procuraret. Hic
 vero in favoris præmium Franciscum in
 Medicæorum familiam adscivit, eum-
 que Mense Julio Anni millesimi quin-
 gentesimi decimi septimi Sacro Purpu-
 ratorum Collegio adscripsit, creavitque
 Marchiæ Governatorem, ærarii Præfe-
 ctum, ac S. R. Ecclesiæ Camerarium, de
 quo officio, ut cum Cardinale Cibo a-
 geret, eidem Papa veniam concessit.
 Hac vero dignitatum amplitudine Ar-
 mellinus plurimum invidiam, ac hostium
 suorum indignationem sibi accersebat,
 imo ipse quoque populus illius nomen
 exosum habebat, eoquod plurima subsi-
 dia, ac tributa civibus imposuisset, un-
 de eorum furorem veritus, sub Adria-
 no VI, qui Leoni X. in Pontificatu succes-
 serat, aliquamdiu Roma absens perman-
 sit. Referunt nonnulli, quod in quo-
 dam Patrum confesso cum de mediis,
 quibus Sacræ Sedis necessitates suble-
 vari possent, ageretur, Cardinalis Pom-
 pæjus Columna audacter enunciaverit,
 excoiandum esse Armellinum, atque
 a cun-

a cunctis, quibus detractam ejus cutem videre volupe esset, nonnisi unicum obolum fore exigendum; ex collectis enim hisce pecuniis tantam facile summam cumulatum iri, ajebat, quæ ad sustinendos omnes sumptus necessarios sufficeret. Verum Cardinalis Medicæus Armelinum protegebat, ac ad summi Pontificatus apicem eVectus, eundem præter alia pinquiora beneficia Tarentino Archiepiscopatu decoravit. Postea vero unacum eodem Pontifice in arce S. Angeli obsessus, omnes opes suas, quas Romæ habebat, in deploranda urbis direptione a Cæsareis facta ablatas adeo vehementer doluit, ut præ mœrore animi e vita migraret. Hujus mors forte Pontifici haud ingrata accidit; bona enim ejus plusquam ducentis aureorum millibus æstimata tunc ad libertatis pretium pro parte solvendum impendebantur; nullo enim testamento condito Armellinus Mense Octobri hoc anno fatis functus erat.

Sæcul. XVI.

A.C. 1527.

§. LXXII.

Jacobi Hochstrati obitus.

Eodem hoc anno die vigesima prima Januarii celeberrimus Vir Jacobus Hochstratus obiit. Is frequenter admodum in arenam cum Reuchlino &

Valere André bibl. Belg.

T 4 Luthe-

Sæcul. XVI. Luthero descendebat, indeque non modo Lutheranorum, sed etiam eruditorum invidiam in se concitabat, prout ex inscriptione sepulcrali elucet, quam post ejus obitum nonnulli his versibus valde mordacibus adornabant.

Dupin. Bibl. des aut eccl. XVI siecle tom 14 p. 11. Echar. scrip. Ord. Præd. tom. 2.

*Hic jacet Hochstratus, viventem ferre,
patique*

*quem potuere mali, non potuere
boni.*

*Crescite ab hoc taxi, crescant aconita
sepulchro.*

*Ausus erat, sub eo qui jacet, omne
nefas.*

Is ab ejusdem nominis Comitatu, in quo natus erat in Brabantia, Hochstratus fuit appellatus. Emetiebatur studiorum curriculum Lovanii, ubi Anno post Christum natum millesimo quadringentesimo octogesimo quinto liberalium artium Magister creabatur, ac postmodum Colonix Institutum S. Dominici professus, gradatim primus Theologiæ Professor ac demum generalis Inquisitor in tribus S. Imperii Electoratibus, Colonienfi, Moguntino & Trevirensi renunciabatur. Vir erat animo intrepidus, qui sese profanis novitatibus toto studio opponebat. Nec ipse
Luthe-

Lutherus eo magis acerbum experiebatur inimicum, quamvis ob agendi vehementiam, qua illum etiam calamo infectabatur, a quibusdam suggillatus fuerit, quorum tamen objurgationes in majorem ejus honorem cedebant. Haud tamen diffitemur, suam scribendi methodum, utpote a sermonis puritate valde alienam, haud immerito ab illius æmulis fuisse notatam; quinimo Aubertus Miræus, licet ceteroquin eidem oppido addictus esset, ingenue tamen fatetur: *Quod pro sæculi illius infelicitate non satis forsitan politiore literatura tinctus, illius ævi sciolis calumniandi occasionem dederit, ac hæreticorum, & hæreseos novitati faventium acerbissimum in se odium concitarit.* Habuit etiam Hochstratus alium inimicum, qui non modo illum in vita molestiis oppressit, sed etiam post mortem famam illius apud posteros denigravit. Is erat Joannes Reuchlinus, qui se ab eo in judicium perperam vocatum summopere indignabatur, quo facto Hochstratus non modo illius ævi doctissimorum invidiam, sed etiam contemptum adversarii sui opera incurrebat, adeo, ut Romam, prout jam alibi (*) meminimus,

Sæc. XVI.

A. C. 1527.

Joa. Henr.
Majus in vita
Reuchlin.

T 5

con-

(*) Lib. CXXII. Historiæ Eccles. contin.
§. LXIII.

Sæc. XVI. contendere cogereur, ubi tamen tan-
A.C 1527. tum efficere non poterat, ut Reuchlini li-
 ber damnaretur.

Scripsit Hochstratus adversus Reuchlinum primo librum *de destructione Cabalæ*, seu *de perfidia Cabalistarum*, quod opus Anno Christi supra millesimum quingentesimo decimo octavo Antwerpensibus literis excusum Leoni X. nuncupatum est. Secundo elucubravit Dialogum in caussa Reuchlini, necnon quasdam apologias contra eundem, præter *judicii acta inter Hochstratum, & Reuchlinum*, quæ Anno millesimo quingentesimo decimo octavo typis edita prodire. Observandum tamen, quod præfatis actis ex eorum lite deductis quædam adjecta fuerit relatio, in qua non pauca eo tempore credita recensentur, quæ tamen manifeste falsa comprobantur etiam ab iis, quibus vel leviter Romanæ Curiae consuetudines cognitæ sunt. Traducebatur Hochstratus tanquam juratus politioris disciplinæ inimicus, hancque in rem ejus inimici Bernæ librum vulgarunt, cui titulus: *Obscurorum virorum epistolæ ad Ortuinum Gratium*. Adscribebatur hic liber Georgio Benigno Nazarethano Archiepiscopo, (*) ast ille hunc ingenii sui

(*) Infamis hujus Satyræ Auctorem prodie

fui partum esse negabat, non minus ac Sæcul. XVI.
illum, qui inscribitur: *Dialogus ex ob* A.C. 1527.
scuroorum Virorum salibus cribratus. Hanc
ob rem Hochstratus apologiam suam
concinnavit contra dicteria in hisce li-
bris

dit Guilielmus Cave, dum in sua Historia Scri-
ptorum Ecclesiasticorum ad Sæculum XV. fol-
mihi 143. de Joanne Reuchlino hæc scribit:
Cucullati gregis malitiam & petulantiam acer-
rimis satyris (neque enim graviori stylo refu-
tari meruerunt ineptissimi tenebriones) ultus
est Reichlinus, iaprimis vero edito obscurorum
Virorum Epistolarum Volumine, admirabili
lepore ac facetiis condito, quibus ad excitandum
risum rudis & ridiculus Monachorum & Scho-
lasticorum Latine scribentium Stylus exprimi-
tur. Liber iste avidè ab omnibus exceptus &
evulgatus mirum quam pupugit cucullatorum
animos; Hochstratum vero adeo sauciavit, ut
tanquam lethali percussus dolore interierit.
Reliqui conjurationis socii a Leone X. Papa
demissis tandem precibus obtinuerunt, ut Epi-
stolæ illæ Apostolico edito legi, divendive veta-
rentur. Edictum lepido commento elusit Reich-
linus. Secundum enim ejusdem farinae Episto-
larum volumen priori tamen longe aculeatius,
tanquam ex titulo minime interdictum, impri-
mi curavit. Illo nimirum ævo nonnulli, qui se
purioris literaturæ Viros jactitabant, Lutheri
errori

Sæcul. XVI
A.C. 1527

bris ac præcipue in primo contenta, quæ ipse potius honorem suum vindicare sollicitus, paribus quoque jocis eludit, cum ejusmodi scribendi genus ad ultionem de hisce rabulis sumendam longe

erroribus clam præcinnebant, cum vero clandestina eorum consilia a Viris fidei zelo accensis, ac præcipue a Religiosis detegerentur, hinc illi eorum auctoritatem convitiis, calumniis, famosis libellis in vulgus sparsis, necnon atrocibus jocis & ludibriis imminuere, famamque eorum lædere toto studio eo fine nitebantur, ut illi, qui eorum ausibus resistere possent & vellent, ab incautis contemptui passim haberentur, illi vero sub exquisitæ scientiæ ab eis revocatæ obtentu impune erroribus viam sternere valerent. Ita illo ævo accidit; tum enim insurgebant nonnulli, qui Grammatices, eloquentiæ, Græcæ ac Hebraicæ linguæ novasque Philosophiæ scientias plenis buccis prædicabant, ceteros omnes tanquam rudes idiotas contemnebant, sibi que harum scientiarum abusu populi atque incautorum famam conciliabant, inde factum, ut eorum libri, in quibus tamen hæresis venenum jamjam latebat, avidis oculis promiscue legerentur, in varia regna impune inveherentur, ejusmodi Viri velut nova scientiarum Oracula ad Academias recens eretas accerferentur, tandemque hæreticæ opinionones

longe aptius censeret, quam si argumen-
 ti, stylique gravitate eos confutasset, cum hac impugnandi ratione abs
 dubio ad amaros sales rursus ho-
 stibus suis ansam præbuisset.

Sæcul. XVI.
 A.C. 1527.

Ceterum Hochstratus adversus Lu-
 therum sex libros colloquiorum cum D.
 Augustino elucubravit, qui Antverpiæ
 Anno reparatæ salutis millesimo quin-
 gentesimo vigesimo quarto Typis editi
 fuere. Scripsit etiam contra eundem
 præ-

niones velut sanioris ætatis purioris doctrinæ &
 literaturæ fructus perciperentur, totusque
 mundus se Lutheranum esse miraretur. Ita
 nempe nulla ætas magis periculosa, quam illa,
 in qua scientiarum abusus impune grassantur,
 quot, quantoque viros jam a recta fidei semi-
 nita abduxit nova Philosophandi ratio, quæ
 præter sentiendi libertatem sensum fidem eli-
 minat; unde hodierno ævo tam effrænis sa-
 cros Ecclesiæ ritus contemnendi, traditiones,
 ac pia historiarum sacrarum monumenta rejiciendi li-
 bertas ortum duxit, quam ex ipso artis criticæ
 abusu? Hæc sunt mala eo magis fidelibus no-
 xia, quo minus ob honestatis ac utilitatis spe-
 ciem eorum periculum animadvertitur, primum-
 que venena ita subdole tecta nocuisse sen-
 tiuntur, postquam communi malo nullum ultra
 remedium superest.

Sæcul. XVI.
A.C. 1527

præter tractatum *de fide & operibus*, Dialogum *de veneratione, & invocatione Sanctorum* eodem anno typis impressum; quinque tractatus *de libertate Christiana, & Purgatorio* Anno millesimo quingentesimo vigesimo sexto excusos; ac denique libellum cui titulus: *Contra octo Lutheranorum blasphemias*. Præter alia nonnulla composuit opuscula, inter quæ merito recensetur, *Margarita Philosophiæ moralis*, quæ duodecim libris constat, ac Antverpiensibus literis Anno millesimo quingentesimo vigesimo primo impressa publicam lucem aspexit. Reliquit quoque posteris *defensionem Principum Alemanicæ contra eos*, qui illos criminantur, eoquod ultimo supplicio interfectorum corpora absque sepultura in patibulis suspensa relinquant; denique concinnabat sermonem contra eos, qui ad maleficia recurrunt, necnon alium adversus *Presbyteros concubinariorum*. Idem etiam Hochstratus ceteris acrius infectabatur Erasmus, eumque appellat Coriphæum totius tragœdiæ, quæ contra ipsum Lovanii concitata fuerat. Publici etiam juris fecit Colonix idem Scriptor iudicium, quod in caussa S. Dionysii Areopagitæ Parisienses Theologi adversus Lutherum Anno Christi supra millesimum quingentesimo vigesimo primo pronun-

*Erasm. ep. 13
l. 19. p. 829.
ex Mense
Majo 1527.*

cia-

ciarunt, & habetur in secundo Tomo Sæcul. XVI.
operum Lutheri, latinæ editionis Je- A.C. 1527.
nensis, necnon in apparatu Patris P. Nourri
Nourrii. apparatus ad
Biblioth.
max. Veter.
Patr. an.
1694.

§. LXXIII.

*Beda molimina pro condemnandis
omnibus Erasmi libris.*

In Galliis Natalis Beda Theologiæ Do- Chevellier.
ctor, ac Facultatis Parisiensis Syn- orig. de l'im-
dicus nondum contentus erat, quod e- prim.
jus instinctu Erasmi colloquia unacum Erasm. l. 19.
propositionibus inde depromptis censu- ep. 162. p. 877.
ris perstricta, ac damnata fuerint; qua- ep. 71. p. 886.
propter omnia opera hujus Auctoris ep. 13. l. 24.
altera jam censura notari procurabat, p. 1309.
quæ quidem a Facultate jam hoc anno
die decima sexta Decembris pronuncia-
ta nonnisi quarto post anno promul-
gata fuit. Hanc in rem Beda rursus
eadem accusationum capita produxit,
diversis tamen paululum verbis, ut inquit
Erasmus in quadam epistola. Ceterum
Beda nullum omnino artificium præter-
misisse videtur, ut illius, qui ex alieno
libro propositiones deprompsit, infideli-
tatem imitetur; studiose enim suppri-
mit ea, quibus verus accusati sensus
vindicari, & accusatoris calumnia de-
tegi posset, addidit vero de suo, quæ-
cunque

Sæcul. XVI. cunq̄ue ad comprobandam accusatiōis
A. C. 1527. æquitatem opportuna censuit, ad alienum quoque sensum detorsit ea, quæ in longe alio prolata fuere. Utebatur insuper alia adhuc arte; quippe quosdam selegit articulos, quos latine reditos ad Curiam transmisit, ut Proceres totamque Franciam contra accusatum concitaret, huncque auctorem Regis Christianissimi Curix exosum redderet; eo enim ex fine carpsit titulum Regis Franciæ, quem Erasmus Angliæ Regi, cui librum suum nuncupavit, adscribere audebat. His artificiis suffultus Beda, quodammodo voti sui compos factus Theologicam Facultatem induxit, ut Mense Decembri adversus Erasmi librum censuram pronunciaret.

§. LXXIV.

Parisiensis Facultatis censura adversus libros Erasmi,

*Argentre
 coll. jud. de
 nov. error.
 tom. 2. p. 53.
 Et seq.*

In ea præprimis Facultas hunc in modum edisserit: *Cum a nobis Anno Domini millesimo quingentesimo vigesimo sexto circa finem Julii a multis & gravibus personis quæreretur, quid sentiendum foret de quibusdam propositionibus excerptis ex Paraphrasibus Desiderii Erasmi in novum testamentum, & similiter de aliquibus aliis extractis ex quodam ejus libello dictarum*
 pro-

propositionum defensivo, qui dicitur Elenchus, nec non & paucis aliis in quibusdam illius Libri repertis: Nos rationem reddere volentes, de ea quæ in nobis est fide; re diutius atque maturius perspecta, tandem super dictis propositionibus ita respondendum censuimus, ut sequitur, præposito tamen prius indice eorum, quæ hic tractantur.

Sæcul. XVI.

A.C. 1527.

I N D E X.

- De parvulis baptizatis.
- De Morte Christi.
- De jejunio & delectu ciborum.
- De juramento.
- De Reparatione injuriæ.
- De Matrimonio.
- De Fide.
- De quibusdam desideriiis spectantibus ad fidem.
- De Lege veteri.
- De Auctoribus Librorum novi Testamenti.
- De Symbolo Apostolorum.
- De traductione Sanctarum Scripturarum in linguam vulgarem.
- De his, in quibus a communi usu Ecclesiæ Latinæ Paraphrastes recedit in suis Paraphrasibus.
- De quibusdam propositionibus, quæ positæ videntur ex inadvertentia vel Paraphrastæ, vel typographorum.

Hist. Eccles. Tom. XXXV. U De

Sæcul. XVI. De quibusdam propositionibus, in quibus non satis Officio Paraphrastæ Scriptor Paraphrasis respondet.

A.C. 1527.

De meritis.

De fiducia bonorum Operum & meritum.

De fiducia corporalium cæremoniarum, & Statutorum Religionis.

De Oratione vocali.

De Cœlibatu Sacerdotum.

De peccato Originali.

De pœna filiorum temporali propter peccatum parentum.

De pœna Hæreticorum.

De defectu Vigoris Evangelii.

De Sabbatho.

De Ecclesia.

De Beata Virgine Maria.

De Angelis.

De S. Petro.

De S. Paulo.

De Dionysio Areopagita.

De Theologia Scholastica.

De Baptismo Parvulorum.

In prima propositione Erasmus accusabatur hæc docuisse: *Mihi videtur non mediocriter conducere, si pueri baptizati, cum jam ad pubertatem pervenerint, jubeantur concionibus adesse, in quibus illis dilucide declararetur, quid in se contineat profes-*

sio

sio Baptismi: Deinde diligenter privatim Sæcul. XVI.
 examinentur a probis Viris, satisne teneant A.C. 1527
 ac meminerint ea, quæ docuit Sacerdos.

Si comperiantur satis tenere, interrogentur,
 ratumne habeant quod Susceptores illorum
 Nomine polliciti sint in Baptismo. Si au-
 dita professione non approbent, quod gestum
 est per Vicarios, omnia tentanda sunt, ne
 quis resiliat a prima fide. Quodsi non po-
 test obtineri, fortassis expediet illum non co-
 gi, sed suo relinqui animo, donec resipiscat,
 nec ad aliam interim vocari pœnam, nisi ut ab
 Eucharistia sumenda, reliquisque Sacra-
 mentis arceatur. Ceterum nec a Sacris, nec
 a concionibus excludatur.

Hanc propositionem Doctores hac
 censura perstringunt: Consilium hoc im-
 pium est, & in perniciem vergit fidelium,
 viam aperit abolendæ fidei Christianæ, unde
 decidunt, quod parvuli ad adultam æta-
 tem pervenientes non minus possint cogi ad
 fidem servandam, quam olim parvuli Ju-
 dæorum circumcisi ad Legem Mosaicam:
 nam cum fide habeatur, Baptizatos parvu-
 los esse fideles, filios Dei, & hæredes Regni
 cælestis, fide quoque tenendum est eosdem jam
 adultos esse de gremio Ecclesiæ, ideoque eis-
 dem legibus esse obnoxios, quibus ceteri or-
 thodoxi adstringuntur, haud secus quam a-
 liarum Communitatum parvuli, ubi ad pu-
 bertatis annos pervenerunt, legibus suarum
 politiarum devinciuntur, quamvis in illas

Sæcul. XVI. *formaliter per se non consenserint. Decla-*
A. C. 1527. *rarunt idem nonnulli summi Pontifices, tan-*
quam contra Hæreticos procedi oportere ad-
versus eos, qui cum parvuli essent, baptiza-
ti sunt; ubi autem doli facti sunt capaces,
ad ritus se converterunt Judeorum.

De morte Christi Domini.

Sequens propositio concernit mortem Christi, de qua Erasmus hæc dixisse dicitur: *Jesus suam mortem non Lugubrem, sed gloriosam esse voluit, sed adorari, ut quæ sponte pro salute totius mundi suscipiebatur.*

Hæc Propositio hoc modo notatur: *Etsi pretiosa est mors Christi, & gloriosa ut quæ mortem & mortis destruxit autorem, non continuo non est & ipsa Lugubris & fidelibus deflenda, pro quorum salute exhibita sponte est. Nam cum per regium Prophetam Christus conqueratur dicens: Sustinui, qui simul contristaretur & non fuit, qui Zachar. c. 12. consolaretur, & non inveni. Et per Zachariam prædictum sit: Dolebunt super eum sicut doleri solet in morte Primogeniti, pice quoque Matris suæ animam in filii passione doloris gladius juxta Vaticinium Simeonis pertransierit, planum est, quod Christus suam Passionem & mortem minime vetuerit defleri, sed cum illa peccata voluit lugeri, propter quæ expianda moriebatur*

tan-

tanquam caussam tanti doloris, quandoquidem Sæcul. XVI.
A.C. 1527.
attritus est, ut scribit Isaias propter scelera nostra & livore ejus sanati sumus.

Proinde cum hæc propositio Catholicorum Doctorum Sententiæ, universalis Ecclesiæ ritui, quo singulis quibusque sextis feriis in memoriam Dominicæ Passionis, a carnibus abstinetur, nec non & rectæ sacræ Scripturæ intelligentiæ adversetur, temeraria est, impia, & Hæretica.

Cum vero Erasmus hanc quoque propositionem addidisset: *Si Christus suam mortem vulgari more lugeri voluit, cur bajulans crucem reprehendit filias Hierusalem?*

Ideo Theologi hanc censuram subjiciunt: *Noluit se Christus a filiabus Hierusalem deseri, ut infirmum aut non potentem se ab illatis malis defendere, quem admodum illæ erant desendæ ob imminens Hierosolimitanæ civitatis excidium: neque tamen eam ob rem id fieri prohibuit, quod natura suggerit, ratio suadet, sacra eloquia comprobant, Christianos videlicet Christi membra Christo capiti suo conformari, eidemque patienti & dolenti compati & condolere, quemadmodum suo generali ritu Ecclesia observat. Hac autem interrogatione oppositum innuens hic Scriptor, neque Scripturam, quam assumit intelligens, manifeste aberrat.*

Œcul. XVI.
A. C. 1527.

De Jejunio & delectu ciborum.

Circa hoc argumentum Erasmus arguebatur, sequentem tenuisse sententiam: *Mihi purioris Christianismi videtur, magisque consentaneum Evangelicæ & Apostolicæ doctrinæ, si nulli certum cibi genus præscribatur, sed admoneantur omnes, ut quisque pro corporis habitu vescatur, quæ maxime conducunt bonæ Valetudini, non ad luxum, sed ad sobrietatem cum aditione gratiarum ac studio bonæ mentis.*

Hæc propositio, inquit Facultas, Ecclesiasticam disciplinam evertit, ac Aerii, Joviniani, Valdensium, & Lutheri hæresi consentit.

Præterea hanc in rem Erasmus scribebat: *Approbo, quod dicis: esca non commendat nos Deo, quid enim illius refert piscium, an quadrupedum, an volatilium carnibus vescamur? Nihil enim horum pietati quicquam vel addit, vel adimit. Horum delectus superstitiosum facere potest, piæ nequaquam, Christus nullum horum discrimen docuit; proinde temeritatis sit, si quis homunculus conetur quemquam hujusmodi constitutionibus onerare, pro suo quisque corporis affectu vescatur, quibus velit, modo sobrie, parceque super omnibus gratias agens Deo.*

Tristia

*Tristia sunt jejunia, quæ præscribit lex, Sæcul. XVI;
 & ob hoc ingrata Deo, qui diligit hilarem* A. C. 1527.
 datorum.

Omnes hæ propositiones damnantur tanquam hæreticæ, temerariæ, Ecclesiæ legibus injuriosæ, erroneæ, & S. Literis contrariæ.

De Juramento.

De hac materia quinque propositiones referuntur, quarum prima est: *Lex Evangelica, quo tutiores sint homines a perjurio, prorsus damnat omne jusjurandum, ut jam fas non sit jurare.*

II. *Christus in totum vetat jurare.*

III. *Christus prohibet jurare, quod non prohibuerat lex prior.*

IV. *Non minus est Christianus simplici verbo obstrictus, quam Judæus per omnia sacra dejerans.*

V. *Non opus est in contradictibus admiscere jusjurandum, execrationes, aut aliud simile, quod & promittentem obstringat metu, & stipulanti faciat fidem.*

Ex his prima & secunda damnantur tanquam *Legi Evangelicæ, ejusque Legislatori Christo injuriosæ, & a sana Scripturæ intelligentia alienæ, de damnata Catharorum, Valdensium, aliorumque hæreticorum doctrina desumptæ.* Tertia dicitur erronea, eoquod eadem sunt præcepta mo-

Sæcul. XVI. A. C. 1527. *ralia in utraque lege per Evangelium a Christo confirmata. Quarta itidem ut erronea rejicitur, cum deroget honori Dei, cujus auctoritas interponitur per juramentum, ratione cujus novum vinculum obligatorium inducitur. Ultima denique falsa est universaliter intellecta, & ad errorem Wiclefi accedit.*

De reparatione injuriæ.

Afferit Erasmus: *Nisi Christus humanum affectum, quo ipsum Apostoli diligebant evidenter castigasset, existimassemus nobis licere adversus violentiam armis nos defendere, ac vim vi repellere. Nunc autem cum Petrus reprehensus sit, quod adversus impios & sceleratos pro innocentissimo Viro strinxerit ferrum, quæ poterit esse posthac causa, ut homo Christianus injuriam repellat?*

Hæc propositio sequenti notatur censura: *Quamquam inter Christianos, quantum fieri potest, fugienda sint bella, & lites, hæc tamen propositio, ut jacet, innuens nunquam licitum esse bellum adversus impiorum violentiam, quasi nunquam juris ordine servato se defendendo justa subsit belli causa, enervat omnem politiam & a lege naturali & divina discrepat. Alioqui non commemorarentur in libris numerorum, Josue, Judicum, Regum, & Machabæorum multa bella, quæ ex divina Ordinatione gesta sunt.*
Scri-

*Scriptis præterea per Apostolos & alios san- Sæcul XVI.
ctos Viros hæc propositio obuiat, atque hæc A. C. 1527.
resi consentanea est Pauperum de Lugduno
ac Lutheri; neque Scriptorem excusat, quod
adjicit: Quæ poterit esse posthac caussa,
ut homo Christianus injuriam repellat?
Cum in præcedenti parte clare tradat simpli-
citer, non licere nos armis defendere, aut
vim vi propulsare; unde manifeste colligitur
sensus Autoris. Neque etiam ea ratione Pe-
trum Christus reprehendit, quasi nunquam
liceat vim vi, servato moderamine inculpa-
tæ tutelæ, rejicere, sed quod ipsum defen-
dere niteretur, perinde ac si aliquo Christus
indigeret humano subsidio, nec mortem jux-
ta Patris decretum absque contrapugnatione
acceptaret voluntarie.*

De Matrimonio.

Quatuor propositiones de Matrimonio
perstringuntur. Harum prima est:

*Quæ alteri Viro sui fecit copiam
jam uxor esse desit, & Matrimonii jus ade-
mit sibi, divisa carne, quam Deus unam &
indivisam esse voluit.*

II. *Inter Evangelicos una duntaxat
caussa dirimit Conjugium, hoc est, violata
Conjugii fides.*

III. *Uxor, quæ sui corporis copiam fe-
cit alteri, jam, etiamsi non repudietur, de-
sit esse uxor; & Maritus, qui sui corporis
U 5 copiam*

Sæcul. XVI. copiam fecit alienæ, jam ante divortium ma-
A.C. 1527. ritus desit esse.

IV. Quemadmodum ignis non est ignis, nisi caleat, ita conjugium non est conjugium, nisi ex duobus fiat unus, ex tribus, vel ex quatuor una caro fieri non potest.

Hæc quatuor propositiones, inquit Facultas, quatenus per eas prætendi videtur, matrimonium per adulterium dissolvi quoad vincula, hæreticæ sunt: est enim vinculum matrimonii jure divino indissolubile, ut ad Corinthios scribens Apostolus demonstrat, cum inquit: Iis autem, qui matrimonio juncti sunt, præcipio: Non ego, sed Dominus, Uxorem a Viro non discedere: quod si discefferit manere inuuptam, aut viro suo reconciliari; *Et rursum*: mulier alligata est legi, quanto tempore vir ejus vivit; *Et eadem omnino est ratio de viro, sicut de muliere, quia in ejusdem B. Pauli sententia, sicut mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir, ita vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier.*

I. Cor. 7.
v. 10.

Ibid. c. 7.
v. 39.

Tanta præterea indissolubilitas est matrimonii, ut nec per hæresim, quæ est fornicatio spiritualis, dissolvatur.

De Fide.

Ex iis, quæ Erasmus de fide docuit, quinque extrahebantur propositiones.

I. Fides,

I. *Fides, quæ friget absque charitate, nec se profert, ubi res postulat, ne fides quidem est, tantum est inane fidei nomen.*

Sæcul. XVI.

A.C. 1527.

Ex Erasmo

in ep. Jacob.

c. 2.

II. *Fides & charitas natura conjunctissima sunt, & alterum ab altero divelli non potest. Et paulo post: Charitas fidei comes individua.*

III. *Certum est utramque alteri individuum esse comitem.*

Hæ tres propositiones sunt hæreticæ & sententiæ Apostolorum Pauli & Jacobi contrariæ. Paulus namque fidem sine charitate posse esse ostendit, cum inquit: Si habuerom nem fidem ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum. Jacobus etiam in eo capite, in quo dicit fidem sine operibus mortuam esse, appellat fidem simpliciter illam, quæ est sine operibus, dicens: Quid proderit fratres, si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat? Nunquid poterit fides salvare eum? Unde patet, quod fides absque charitate aut operibus bonis fides appellanda est.

I. Cor. c. 13.

v. 2.

IV. *Fides sola purificat corda, redditque idonea, quibus credantur Philosophicæ cælestis arcana.*

V. *Sola credulitas via est ad immortalitatem.*

VI. *Quid exigit Christus a suis nisi fidem?*

Has

Sæcul. XVI. A.C. 1527. Has propositiones Facultatis Theologicæ Doctores his verbis perstringunt: *Tametsi requiritur fides ad assequendam beatam immortalitatem & ad cordium purificationem, ut docent sacre Litteræ, non tamen eam solam ad hoc requiri astruunt, sed potius oppositum, unde ait Jacobus Apostolus: Videtis, quoniam de operibus justificatur homo & non ex fide tantum; & Paulus: Non enim auditores legis justi sunt apud Deum, sed factores legis justificabuntur. Quare hæc propositiones cum hujusmodi conclusione positæ Scripturis non consonant, quæ ubique bona opera prædicant, & offendiculum eadem propositiones natæ sunt præstare pusillis, quasi videlicet non sint necessaria fidelibus bona opera, sed sola fides sufficiat ad salutem.*

De quibusdam desideriiis ad Fidem spectantibus.

Ex Erasmo in ep. ad Cor. c. 1. & seq. Affirmabat Erasmus: *I. Utinam illud saltem aperuisset Paulus, a quibus, quo tempore, quo cultu, quo ritu, quibus verbis consecrari soleat panis ille mysticus & sacro sanctum Dominici Sanguinis poculum.*

Censet Facultas, quod curiosum sit hoc desiderium & futile, atque impium; sufficienter enim sunt per Scripturam sacram determinata, quæ pro salute fidelium expedivit per eam determinari.

II.

II. *Utinam Paulus aliquantopulus lucis nobis aperuisset, qualiter extant animæ se- motæ a corpore & ubinam exsint, an fru- antur immortalitatis gloria? An impiorum animæ jam nunc crucientur, an eis subve- niant nostræ preces, aut alia benefacta; an indulgentia summi Pontificis subito liberen- tur a pœnis, quando video multos super his- ce rebus ambigere, aut certe disputare. Quod supervacaneum foret, si Paulus aperte defini- visset.*

Ad hanc Propositionem Facultas di- cit: *Supervacaneum est hoc desiderium & pe- riculosum. Multis siquidem occasionem af- ferre potest scandali, tanquam quæ illic po- nuntur sufficienti Scripturarum Testimonio non subsulciantur, cum tamen illa omnia satis sint per sacra eloquia definita, excepta ultima particula de indulgentiis. Neque ta- men propterea asserendum est, quod semper per indulgentias subito a pœnis liberentur; nec hoc in suis bullis Pontifices prætendunt, aut ex vi hujusmodi bullarum Pontificiarum sane intellectarum id habetur.*

De Lege Veteri.

Quantum ad hunc articulum idem Auctor hæc docuit: *Cum lex terro- rem incuteret potius, quam amorem, quid supererat nisi posteaquam per legem didice- rant homines se peccatis obnoxios, nec po- tuisse*

*Ex eodem
Paraph. in
Evangel.
Marci c. 1.*

Sæcul. XVI. tuisse ab his temperare, simulque scirent Dei
 A. C. 1527. severi vindicis iudicium neminem posse effu-
gere, nisi ut trepidarent, horrerent, ac de-
sperarent. Quis autem eum amare potest,
quem horret?

II. Lex Moysis suis umbris, victimis ac
 terroribus fecit hypocritas.

III. Lex cupiditates irritabat potius,
 quam coercerat.

IV. Præceptum illud habetur in lege
 præcipuum: Diliges proximum tuum,
 & odio habebis inimicum tuum.

V. Adolescens audierat Christum docen-
 tem, præcepta legis Mosaicæ non esse satis
 ad consequendum Regnum Cælorum.

VI. Sincera charitas si adsit, quid opus
 est legis præscriptis?

VII. Verbofissima lex est.

VIII. Judæi pro tempore crassa Reli-
 gione, vel superstitione magis cohibebantur.

Ex hisce octo propositionibus prima
 juxta Facultatis sententiam est Deo legi-
 que, quam nobis reliquit, injuriosa, al-
 tera itidem Legi Mosaicæ, Deoque in-
 juriam inferre dicitur. Tertia tanquam
 falsa rejicitur, eoquod lex sancta sit &
 justa, potius ad cohibendas quam irri-
 tandas passiones proposita. Quarta tan-
 quam veritati dissona damnatur, cum
 nullum exstet præceptum, vi cuius ini-
 micos nostros odio habere teneamur.
 Quinta cum ingenti temeritate censetur
 pro-

prolata. Sexta ad Beguardorum erro-
rem accedere creditur. Septima, im-
pie ac sine reverentia enuntiata rejici-
tur. Octava denique iisdem ferme ter-
minis velut Veteri legi injuriosa repro-
batur.

Sæcul. XVI.
C.A. 1527.

De Auctoribus librorum novi Te- stamenti.

De hoc argumento quinque proposi-
tiones a Doctoribus proscriptas re-
perimus. Prima erat hæc: *Non statim
dubius est in fide, qui de Auctore libri du-
bitat.*

Erasmus in
Elencho.

„ Hæc propositio inquit Facultas,
„ temerarie & erronee asseritur, quia,
„ postquam Ecclesia sacros libros sub
„ nomine talium Auctorum suo usu uni-
„ versali recepit, & sua probavit defi-
„ nitione, non jam fas est Christiano
„ dubitare, aut eos in dubium revocare. „

*II. Epistola, quæ fertur ad Hebræos,
multis argumentis conjici potest non esse Pau-
li, cum stylo rhetorico verius, quam Apo-
stolico sit scripta.*

„ Hæc propositio juxta Facultatis
„ judicium arroganter & schismaticè
„ asseritur contra determinationem Ec-
„ clesiæ in Conciliis Nicæno, Laodi-
„ censi, Carthaginensi III. & in Conci-
„ lio septuaginta Episcoporum factam. „

III.

Sæcul. XVI.

A. C. 1527.

III. De Epistolæ ad Hebræos Auctore
semper est dubitatum, & ipse, ut ingenue
fatear, adhuc dubito.

„ Hæc propositio eadem censura,
„ qua prior, perstringitur. „

IV. De secunda Petri diu dubitatum est.

„ De hac propositione Facultas ita
„ pronuntiat: Hanc Epistolam sub nomine
„ B. Petri etiam jam olim Ecclesia suo usu
„ recepit, & definitione Conciliorum Lao-
„ dicensis, Carthaginensis III. & Gelasii
„ Papæ necnon decreto Innocentii magni con-
„ probavit. „

V. De Apocalypsi diu dubitatum est non
dico ab hæreticis, sed ab Orthodoxis Viris,
qui Scriptum tamen ut a Spiritu sancto pro-
fectum amplectebantur, de Scriptoris nomi-
ne incerti.

Circa hanc propositionem Faculta-
tis Doctores ita discurrunt: Liber Apo-
calypsis aperte cognoscitur a B. Joanne
Evangelista editus, tum ex Ecclesiæ usu,
tum ex ejusdem definitione in Conciliis Car-
thaginensi III. atque Beati Gelasii necnon in
Synodo IV. Toletana. Idem rursus testan-
tur Innocentius I. Dionysius Areopagita,
Irenæus, Justinus, Damascenus, aliique.
Deinde patet ex ipso ejusdem libri contextu,
nam in illo Scriptor esse dicitur Joannes,
qui perhibuit testimonium Verbo Dei, qui-
que ea de causa in Pathmos Insulam relega-
tus

tus est: quæ profecto de alio a Joanne A. Sæcul. XVI.
 postolo & Evangelista nequeunt intelligi. A.C 1527.

De Symbolo Apostolorum.

Circa Symbolum Apostolorum incusabatur Erasmus hæc dixisse: *I. Symbolum an ab Apostolis proditum sit, nescio.*

Ad hanc propositionem Doctores Facultatis hæc pronunciant: *Cum Symbolum ab Apostolis editum esse & promulgatum, sit fide tenendum, teneant quoque Catholici Doctores, Clemens hujus nominis primus Romanus Pontifex, Augustinus, Ambrosius, Leo itidem primus, & alii uniformiter, unumquemque Apostolorum, quod sensit, dixisse dum illud conderent; hæc nescientia impietati deserviens scandalose proponitur.* Huic Facultatis censuræ haud immerito adjicere possumus, quod S. Augustinus, Rufinus, S. Leo, Maximus Taurinensis, Fortunatus, S. Petrus Chryfologus præter infinitos propemodum alios Auctores unanimi suffragio tanquam rem omnino certam habuerint, quod hoc Symbolum in Apostolorum Concilio fuerit editum, ac insuper hæc sententia ipsa Ecclesiæ definitione atque usu sit comprobata, hinc eam in dubium vocare, omnino temerarium esse videtur. Præterea Rufinus, aliique Scriptores nonnulli censebant, quod Apo-
Hist. Eccles. Tom. XXXV. X stoli

Sæcul. XVI. stoli ipsomet, in quo Christus mortuus
A.C. 1527. est, anno nimirum paulo post descen-
 sum Spiritus Sancti hoc Symbolum con-
 diderint: Baronius tamen, aliique con-
 jiciunt, quod non nisi secundo anno,
 quo Claudius regnabat, seu paulo ante
 divisionem Apostolorum idem Symbo-
 lum fuerit editum. Utut res se habue-
 rit, id nobis certum videtur, quod vix
 vero simile sit, quod quilibet Apostolus
 sigillatim suum articulum enuntiaverit,
 prout tamen id asserunt S. Leo, & For-
 tunatus, necnon Auctor sermonis cen-
 tesimi decimi quinti, qui S. Augustino
 adscribitur: Veritati itaque longe ma-
 gis consonam esse censemus illorum opi-
 nionem, qui hosce articulos ex com-
 muni omnium Apostolorum consensu ac
 collatione fuisse conditos affirmant.

De versione Sacrarum Scripturarum in linguam vulgarem.

Quinque contra hujus versionis aucto-
 ritatem proscribuntur propositio-
 nes, in quarum prima Erasmus sic lo-
 quitur: *Sacras Literas cupio in omnes
 verti linguas.*

II. *Exclamant indignum facinus, si
 mulier aut corarius loquatur de sacris Li-
 teris.*

III.

III. *Me Auctore sacros Libros leget Agricola, leget faber, leget Latomus.*

Sæcul XVI.
A C. 1527.

IV. *Neque Ezechielis Prophetæ, neque Cantici Canticorum, aut cujusquam Librorum Veteris Testamenti Lectionem ulli hominum interdixero.*

V. *Indecorum, vel ridiculum potius videtur, quod idiotæ & mulierculæ, psitansi exemplo, Psalmos suos & Precationem Dominicam immurmurant, cum ipsæ, quod sonant, non intelligant.*

Circa primam propositionem Facultas ita pronuntiat: *Quamvis in quamcunque linguam vertantur sacræ Literæ, sua pte natura sanctæ sint & bonæ, quanti tamen sit periculi permittere passim lectionem earum in linguam vulgatam traductarum, absque ulla explicatione simplicibus eis abutentibus, satis indicarunt hæretici, qui inde occasione sumpta multos errores disseminarunt, quapropter temere esset omnibus promiscua S. Scripturæ lectio permittenda.*

Ad alteram propositionem Facultas hæc asserit: *Indignum facinus est, quod idiotæ & simplices suo iudicio sacras Literas legant, de illis differant, aut disceptantes de earum difficultatibus tractent: nec tamen inde prohibetur conferre inter se de iis, quæ in concionibus publicis audierunt ad morum correctionem, & ad compunctionis & devotionis excitationem, ut magis ac magis*

Sæcul. XVI. *in eis charitas accrescat, humilitas solidetur,*
 A.C. 1527. *atque opera carnis mortificentur.*

De tertia Facultatis Doctores hoc
 iudicium ferebant: *Simplices esse tan-*
quam parvulos lacte non autem cibo solido
nutriendos: quapropter non esse medium hu-
jusmodi simplicibus aptum, quod indiscrimi-
natim quosvis sacros libros legant, sed con-
venientissimam esse auditionem Verbi Dei, &
frequentationem prædicationum, nec eis pro-
hiberi usum nonnullorum sacrorum li-
brorum, qui cum explicatione morum ædi-
ficationi sunt accommodati, dummodo tales
libri legantur pie ac sobrie citra supercilium
& arrogantiam.

Quarta propositio hac censura nota-
 tur: *Cum Sedis Apostolicæ decreto multo-*
rum librorum lectio Laicis interdicta sit, at-
que apud Hebræos prohibita fuerit lectio
multorum talium librorum ac primi capituli
Genesis ante annum ætatis tricesimum, hinc
prædicta propositio temerarie & impruden-
ter asseritur.

Ultimo tandem Facultas de quinta
 propositione ita pronuntiat: *Hæc pro-*
positio simplices, idiotas, & mulierculas ab
oratione vocali perperam retrahit, estque im-
pia & erronea, viam præbens ad errorem
Bohemorum, qui Officium Ecclesiasticum
idiomate vulgari celebrare conati sunt. Ne-
que enim per verba orationis solum præten-
dit Ecclesia, quod serie verborum illorum
 eru-

erudiamur, sed ut ejus fini nos conforman- Sæcul. XVI.
do veluti ipsius membra divinas laudes pro- A.C. 1527.
muntiemus, debitas gratiarum actiones per-
solvamus, & nobis necessaria imploremus.
Unde propter talem orantium intentionem
affectus inflammetur, illuminetur intellectus,
humana inopia sublevetur, atque gratiæ &
gloriæ fructus comparentur. Quæ certum
est orantes per tales orationes vocales, quam-
vis verba non intelligant, præterdere.

De his, quæ in Paraphrasibus Eras-
mi mutata fuere.

Notat insuper Facultas quasdam con-
tortas locutiones, ac mutationes,
quas Erasmus suis Paraphrasibus intru-
ferat; sic utitur dictione *sermo*, cum in
primo capite S. Joannis dicatur: in prin-
cipio erat *Verbum*. Referens verba In-
stitutionis Evcharisticæ ex prima Epi-
stola ad Corinthios cap. 1. ponit verbum
frangitur, cum tamen legamus: *quod*
pro nobis tradetur. Insuper in cap. 1. S.
Joannis particulæ *sic* substituit verbum *si*.
In capite quarto Epistolæ ad Philippen-
ses non legit: *Germane compar*, sed *ger-*
mana conjunx: in capite decimo quarto
S. Joannis non ei placet verbum *Para-*
clitus, hinc ponit nomen: *Paracletus*:
item Luc. 1. & Tit. 2. scribit *Servator* pro
Salvator, *Betheida* pro *Bethsaida* Joan. 5.
Betha-

Sæcul. XVI. *Bethabara* pro *Bethania* Joan. I. ac denique *Melite* pro *Mitilene*.
A.C. 1527.

De quibusdam propositionibus ex
Paraphrastæ vel Typrographo-
rum inadvertentia de-
pravatis.

Reprehenditur etiam Erasmus de quibusdam erroribus, qui ex incuria irrepsert: hos inter observatur. I. Quod Auctor in caput decimum S. Matthæi dixerit, sanctum Judam Apostolum fuisse Jacobi filium, cum tamen illius frater fuerit. II. In capite secundo Lucæ Erasmus posuit *Bethleem* pro *Nazareth*, cum tamen S. Lucas ita scribat: *Reversi sunt Parentes Jesu in civitatem suam Nazareth.* III. In caput I. Joannis Nomen *Nathanael* transmutavit Erasmus in Nomen *Philippus*. Plures insuper ejusmodi errores notabantur: postremo autem Facultas hunc articulum absolvit adductis quatuor propositionibus, de quibus affirmat: *Quod Erasmus minus recte Paraphrastæ officio functus sit, eoquod sensum, ubi aperire debuisset, non aperuerit, cum tamen per alios Catholicos Doctores clare explicetur: nam certum est, quantum ad primam, non licere viro ducere aliam uxorem, propria etiam adulterante, cum sit omne vinculum Matrimonii inter Fideles*
jure

jure divino & naturali indissolubile, nisi Sæc. XVI.
 interveniat Religionis solemne votum, post A.C 1527.
 Matrimonium ratum & non consummatum.

Quantum vero ad secundam, certum est diem
 & horam ultimi judicii nosse Filium Homi-
 nis secundum Humanitatem, cum ipse sciret
 omnia, quæ ventura erant super eum, &
 dederit Pater omne Judicium Filio, ut Fi-
 lius Hominis est, licet illud non dederit, ut Matth. 19.
 ante constitutum tempus passim hominibus dies & 24.
 & hora illa judicii reveletur. Quantum au-
 tem ad tertiam & quartam, ideo orare di-
 citur Spiritus sanctus, & ingemiscere, qui
 sua gratia fideles orantes reddat, & inge-
 mescentes pro suis iniquitatibus & peccatis, Rom. 8.
 aut aliis piis & justis causis, ut uniformis
 est Catholicorum Doctorum explicatio &
 sententia.

De Meritis.

Videtur Erasmus omnem meritis vir-
 tutem abrogare, hinc Facultas octo
 illius propositiones damnavit. Harum
 prima est: *Merita vix constituere potest S.*
Augustinus. Hæc propositio, inquit
 Doctores, ad impiam Lutheri doctrinam de
 fide & operibus accedit.

II. *Christus liberat universos ab omni-*
bus animarum morbis, tantum ut morbum
agnoscamus & fidamus Medico.

X 4

III.

Sæcul. XVI.

A.C. 1527.

III. Apostoli denuntiabant omnibus, ut pœnitentiam agerent anteaactorum malorum, neque quisquam fideret suis factis, sed tantum promissis Evangelicis.

IV. Deus a peccatoribus, nec holocaustata requirit, nec Donaria, tantum agnosce morbum, & confide de medico. Hæ ultimæ tres propositiones a Facultatis Doctoribus hac censura perstringuntur.

Quamquam plurimum conferat ad impetrandum a Deo, quod petitur, ardor fidei, & simplex ac pura fiducia in Christo, & ejus promissis, illa tamen non sufficiunt, nisi addantur bona opera. Quare hæ tres propositiones, quantum ad tres ultimas earum partes, quatenus prætendunt sufficere ad salutem talem fiduciam in Christo, & ejus promissis, absque bonis operibus, hæresi Lutherancæ de fide, & operibus adstipulantur.

V. Jesus nullum aliud exigit Sacrificium, quam simplicem ac puram erga se fiduciam.

VI. Satis sacrificavit, qui se Deo cum plena fiducia ostendit.

VII. Nullum est opus hominis ita bonum, ut mereatur præmium æternæ vitæ. Hæ propositiones, inquit Facultas, sunt hæreticæ, & sacris literis contrariæ; illæ enim ostendunt, quod cum divina gratia non possumus vitam æternam promereri contra illud: Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.

VIII.

VIII. Qui præmii caussa certat, non Sæcul. XVI.
 certaturus, nisi sciat dandum præmium, is A C. 1527.
 seipsum præmio frustratur. Hujus propo-
 sitionis censura est sequens:

*Tametsi principaliter Dei amore, quam
 præmii, debeant homines certare, & bene
 operari, licitum est tamen eis præmio move-
 ri ad bene operandum, & certandum contra
 tentationes, & oppositum asserere, erroneum
 est, & Scripturæ adversatur. Scribit enim
 Apostolus: Debet in spe, qui arat, ara-
 re, & qui triturat, in spe fructus perci-
 piendi.*

*Probantur etiam a Christo Eunuchi,
 qui seipsum castraverunt propter Regnum
 Cælorum; & inclinavit cor suum regius
 Propheta ad faciendas justificationes propter
 retributionem.*

De fiducia bonorum operum.

De fiducia in bonis operibus & meri- Erasmus in
 tis nonnisi duas reperio propositio- Elencho.
 nes, quarum prima est: *Lutherus pie
 quidem ac christiane disseruit de fiducia me-
 ritorum, operum & virium nostrarum, ac
 de tota fiducia transferenda in Deum, & ejus
 promissa.*

*II. Periculum est meritis fidere. Ha-
 rum propositio censura ita sonat: Cum
 redditurus sit Deus unicuique juxta opera
 sua, debent fideles securi esse, quod si perse-*

Sæcul. XVI. *veraverint bene agendo, & divina mandata*
 A.C. 1527. *custodiendo, consequentur vitam æternam. Hoc*
 2. Cor. c. 5. *enim includit ratio spei, proindeque meritis*
 v. 10. *hoc modo fidere non solum possunt, sed &*
tenentur, alioquin non sperarent. Quare
erroneum est asserere, quod periculum sit hoc
pactō meritis fidere, nec tamen ea fiducia
gratiam & misericordiam Dei excludit, per
quas merentur homines, & ad vitam æter-
nam acceptantur. Longe siquidem abest hu-
jusmodi fiducia a præsumptione & ingrati-
tudine. Deo enim omnia bona opera adscri-
bit, ut præcipuo Auctori, & fructum me-
ritorum maxime collocat in divina miseri-
cordia, non in propriis meritis, aut huma-
na justitia, quæ nullius est momenti, seclu-
 2. Petr. c. 1. *sa divina misericordia, licet cum illa ad sa-*
 v. 10. *lutem ex Dei Decreto requiratur humana*
operatio, quæ nihilominus Dei donum est,
neque tamen ullum est opus hominis, quo re-
gulariter absolute & absque conditione futu-
ræ perseverantiæ securus esse possit de sua sa-
lute citra revelationem.

Ex his clare patet, erroneam esse
 Erasmi doctrinam, qua tradidit, quod
 periculosum sit meritis fidere, dummodo
 non excludatur gratia & Dei misericor-
 dia, per quas æternæ vitæ præmium
 promeremur.

De

De Ceremoniis Ecclesiæ & Statutis
Religionis.

Sæcul. XVI.

A.C. 1527.

De fiducia, ut ait Erasmus, corpora- *Erasm. in*
lium Ceremoniarum, & statutorum *Elencho &*
Religionis sex propositiones fuerunt dam- *Marc. 2.*
natae. *Luc. 19.*

I. Quo magis inhæremus corporalibus Ce-
remoniis, hoc magis vergimus ad Judais-
mum.

II. Opto omnes esse tales, ut corpora-
libus Ceremoniis non egeant admodum, aut
non ita multum tribuant.

III. Si Præfules instituerunt aliquid ju-
daicæ observationis propter infirmos, non
damno.

IV. Meis Discipulis, ait Christus, ni-
hil istarum rerum præscribo, his vescere,
his abstinere, nunc quiesce, nunc labora, sic
vestire, hoc ne contingas, illud ne contra-
ctes, ne semper maneat imbecilles; si me
præceptore semel didicerint hujusmodi rebus
corporalibus fidere.

V. Alius ostendit aliquem e Parisæo-
rum genere nigro pallio, & dicit: Respice,
hic est Christus; alius rursus indicat alium
candido pallio, & dicit: Ecce, hic est Chri-
stus; alius diversos indicans colores & for-
mas vestium clamat: Hic est Christus; alius
demonstrat vescentem piscibus, & dicit:
Hic est Christus. Hic mihi exhibet spado-
nem,

Sæcul. XVI. nem, & iterum affirmat: *Hic est Christus:*
A.C.1527. *O judaicum & incredulum genus! vis vide-*
re Jesum, conscende arborem, sume tibi ocu-
los Zachæi.

VI. *Recte negligitur color aut forma ve-*
stis, quoties id commodum est homini.

Ex hisce propositionibus prima dam-
 natur *tanquam impia, hæretica, necnon*
Wiclefi ac Lutheri erroribus consona. II.
 Dicitur esse *temeraria, necnon externum,*
qui Deo exhibendus est, cultum evertens.
 III. *Perstringitur velut impia, atque in-*
juriosa Ecclesiæ, cum Author innuat, Ec-
clesiæ ritus esse Judaicos, eosque solis infir-
mis convenire. IV. *Censetur esse falsa.*
 V. *Notatur, tanquam impia, eo quod Eras-*
mus impudenter videatur insultare Ecclesiæ,
quæ semper in pretio habuit Religiosorum in-
stituta, diversosque eorum habitus, vestes-
que diversi coloris approbavit. VI. *Deni-*
que propositio, inquit Facultas, innuens
unicuique Religioso licere suum habitum re-
linquere, quoties id illi commodum visum
suerit, Ecclesiasticam & Monasticam disci-
plinam dissolvit, & sanctorum Patrum ac
Pontificum & Conciliorum institutis inju-
riam infert.

De Oratione vocali.

Totidem quoque propositiones circa
 orationem vocalem proscripsit Fa-
 cultas.

cultas. Prima erat hæc : *Christus in Sæcul. XVI. orando damnat multiloquium.* A. C. 1527.

II. *Cantiuncularum, clamorum, murmurum ac bomborum ubique plus satis est, si quid ista delectant superos.* Eras. l. cit. annot. 60. & in Matth. c.

III. *Quid aliud auditur in Monasteriis, in Collegiis, in Templis, quam vocum strepitus.* 6. in I. ad Cor. c. 14.

IV. *Vulgus non aliud audit, quam voces non significantes.*

V. *Obsecro, quid sentiunt de Christo, qui illum credunt hujusmodi vocum strepitu delectari.*

VI. *Cur dubitat Ecclesia tantum Auctorem sequi? aut cur audet ab eo dissentire? de Paulo loquitur.*

Harum propositionum prima juxta Facultatis judicium est erronea, quia *Christus Dominus non omne multiloquium in oratione damnavit, sed illud Paganorum, quod ex infidelitate procedit existimantium Deum non aliter audire, aut intelligere orantes, nisi multiloquio utantur.* Secunda, quæ Ecclesiæ cantum ac Musicam damnat, rejicitur tanquam falso, temerarie & impie asserta, damnatoque hæreticorum errori favens. Porro postremæ quatuor propositiones damnantur tanquam impiæ, eo quod unice eo tendant, ut modum, quo divinæ laudes decantantur, vilipendant.

De

Sæcul. XVI.
A. C. 1527.

De Cœlibatu Sacerdotum.

Circa hoc argumentum duæ tantum perstringuntur propositiones, quarum prima ex explicatione Erasmi in primam Epistolam D. Pauli ad Thimotheum cap. 3. deprompta est, altera vero in *Elencho* Erasmi habetur. Prima est hæc:

Eras. in 1. ad Tim. c. 3. & in Elencho annot. 197. l. de interdict. usu carn. Argent l. c. p. 75.

Quoniam in Episcopo pudicitia magnam habet commendationem, si non contingeret, qui voluptatem hanc in totum contemnat, illud fuerit spectandum, ut fuerit, aut sit unius uxoris maritus.

Altera ita sonat: *Hodie ducunt apud Græcos Episcopi uxores etiam post susceptum ordinem. De prima propositione Facultas ita pronuntiat: Hoc consilium ordinationi Ecclesie de cœlibatu Sacerdotum derogat, perinde acsi melius esset, eam Sanctionem non esse constitutam, hinc impium est, splendori pudicitie Ecclesiasticæ adversum, & de damnata Wiclefi & Lutheri doctrina desumptum. Alteram Facultas dicit temere assertam.*

Insuper in additionibus ad hasce censuras, tertia adhuc circa idem argumentum reperitur propositio ex Erasmi libro *de interdicto usu carniū* deprompta, in qua Auctor ita asserit: *Multæ causæ suadent mutationem legis cœlibatus in Ecclesia.*

sa. Hæc Propositio, inquit Facultas, Sæcul. XVI. A.C. 1527.
falsa est, vehementer scandalosa, & in Ec-
clesia sancta schismatis Lutherani ac hære-
sis ejusdem impice nutritiva: eo quod multæ
sint, & efficaces causæ ad sanctam legis cæ-
libatus Sacerdotum observationem retinen-
dam, & nullatenus mutandam, nullæ econ-
tra, quæ justæ sint, oppositum suadeant.

In eadem hac censura Facultas ob-
servat, quod nec ipsis quidem Græcis Sa-
cerdotibus post susceptum sacrum Ordinem
nova nuptiarum sædera inire unquam licue-
rit: unde si id a Græcis inviolabiliter ob-
servatum est, quanto firmiori jure Sacerdo-
tes Ecclesiæ Latine, quæ voto continentie
se devinxit, ad hoc adstringuntur.

De peccato originali.

Occasione hujus peccati Erasmus tex-
tum S. Pauli ad Romanos cap. 5. ad Rom. c. 5.
In Adam omnes peccaverunt, intelligere
videtur de peccato actuali, quod genui-
no Apostoli sensui adversatur; non enim
veritati consonum est, quod omnes homi-
nes peccato actuali deliquerint; quippe Par-
vuli nondum usum rationis consecuti, actua-
li peccato nunquam fuerunt obnoxii. Hu-
jus loci expositio, inquit Facultas, Pela-
gianorum errori favet, qui peccatum ori-
ginale negabant.

De

Sæcul. XVI.
A.C. 1527.

De pœna filiorum temporali propter
peccata parentum.

Circa hoc argumentum Erasmus hanc tenuit sententiam: *Non punit Deus liberos ob delicta parentum, quemadmodum docet lex, nisi filii parentum æmulentur vitia.*

Hæc propositio, affirmat Facultas, universaliter intellecta, prætendens Deum nunquam punire liberos temporali-ter, nisi scelera eorum imitentur, ac si illud repugnet divinæ justitiæ, aut æquitati naturali, est hæretica & sacræ Scripturæ adversatur, quæ frequenter sic punitos liberos indicat. Sic enim sunt pueri submersi in diluvio cum parentibus, sic in Pentapoli igne extincti, sic denique filius David parvulus propter adulterium, & homicidium ejus mortuus est, nec lex docens filios pro iniquitatibus parentum non plecti, intelligi debet de pœna temporali, sed de æterna.

De Pœna Hæreticorum.

Erasm. in Matth. c. 13. Prima propositio erat hæc: Servi, qui volunt ante tempus colligere Zizania, & in supput. sunt ii, qui Pseudo-Apostolos, & Hæresiarchas gladiis & mortibus existimant e medio tollen-

tollendos, cum Paterfamilias nolit eos extin- Sæcul. XVI.
 qui, sed tolerari, si forte resipiscant, & ex A.C. 1527.
 Zizaniis vertantur in triticum; quod si non
 resipiscant, serventur suo iudici, cui dabunt
 pœnas aliquando.

Hæc propositio, juxta Facultatem
 Est error Catharorum, Valdensium, & Lu-
 theri, generalibus Conciliis, & legibus Im-
 perialibus damnatus.

II. Ego Principes ad trucidandos hære-
 ticos, nec hortor, nec dehortor. Quid Sa-
 cerdotalis sit officii demonstro.

Definit Facultas Ecclesiasticis licere jux-
 ta Juris dispositionem indicere bella, aut ad
 indicenda per temporales Magistratus indu-
 cere adversus Turcas & Judæos, non minus
 atque illis licebit in notorios hæreticos. In
 cujus rei comprobationem cum Præsulibus
 adfuit B. Dominicus ei bello, quod contra
 Albigenses hæreticos gestum est, & ubi Prin-
 cipes sæculares graviter delinquerent, non
 exterminando hæreticos in perniciem Reipub-
 licæ Christianæ conspirantes, & in suam hæ-
 resim plurimos pertrahentes, tenerentur om-
 nibus modis illos inducere Orthodoxi Episco-
 pi ad id faciendum, alioqui ipsi peccarent.
 Quare hæc propositio quatenus prætendit
 nunquam Sacerdotalis, aut Episcopalis esse
 officii Principes inducere ad extirpationem
 Hæreticorum, impie nec utiliter profectibus
 consulit Christianorum, veræ fortitudinis
 robur in adversarios fidei enervans.

Hist. Eccles. Tom. XXXV. Y III.

Sæcul. XVI.

A.C. 1527.

III. Quis unquam audivit Orthodoxos Episcopos concitasse Reges ad trucidandos Hæreticos, qui nihil aliud essent quam Hæretici.

Hæc propositio declaratur contraria dispositioni Juris naturalis, divini, & humani.

IV. Docet Augustinus ferendos Hæreticos, donec citra gravem Ecclesie concussionem possint tolli: sed tolli Augustinus intelligit a Communionem separari.

Facultas declarat sanctum hunc Doctorem relicta priori sententia contrarium multis in libris docuisse.

V. Per Evangelium vitari jubentur Hæretici, non exui. Ast, inquit Facultas, Evangelium non abrogat leges civiles, quæ conformiter ad jus naturale Hæreticos morte plectendos decernunt.

VI. An leges Ecclesie sunt quempiam ultricibus flammis tradere?

Respondet Facultas, Ecclesia non vult per Ecclesiasticos leges hasce civiles executioni demandari.

VII. Veteribus Episcopis ultima pena erat anathema.

Hæc Propositio a Doctoribus sequenti censura perstringitur: Propter infestationem Tyrannorum in primitiva Ecclesia non poterant Hæretici severiori pena mulctari, quam excommunicationis, postea tamen cum Principes sæculi Ecclesie colla submi-

submisere, perspecta contumacia, atque im-
 pietate Hæreticorum necessarium fuit, ne-
 dum conveniens in illos gladio temporali ani-
 madverti. Præcedentes autem quatuor pro-
 positiones errori suffragantur præfatorum
 Hæreticorum negantium, licere, & expedire
 hæreticos contumaces extremis suppliciis co-
 erceri, quando nulla inde sequitur perturba-
 tio Reipublicæ, & hoc exposcit salus mul-
 torum.

Sæcul. XVI.
 A.C. 1527.

De defectu vigoris Evangelici.

De hac materia Erasmus hanc effutiit *Erasm. præ-*
 propositionem: Nullis sæculis desue-*pos. in Joan.*
 runt homines, apud quos Evangelio suus con-
 siterit honos, sed tamen his annis 400. vi-
 gor illius apud plerosque refrixerat.

De hac propositione Facultas ita cen-
 set: Hæc propositio, quantum ad ultimam
 partem, scilicet, sed tamen his annis
 400. &c. designans his annis quadringentis
 viros desuisse, quibus Evangelio suus consti-
 terit honos, temere asseritur, cum his annis
 quadringentis viri fuerint non pauci sancti-
 tate & eruditione conspicui, quales fuerunt
 Bernardus, Hugo & Richardus de sancto
 Victore, Petrus Lombardus, Gratianus,
 Thomas Aquinas, Bonaventura, Alexan-
 der de Hales, Guilielmus Parisiensis, Nico-
 laus de Lira, Joannes Gerson, Thomas
 Walden, & plerique alii.

Y 2

De

Sæcul. XVI.
A.C. 1527.

De Sabbato.

*Eras. in Ev.
Marc. c. 2.*

Futurum est, inquiebat Erasmus, ut vere piis quævis dies sit æque sacra. Hujus propositionis censura est sequens:

Hæc propositio, innuens cultum diei Dominicæ & aliorum festorum ab Ecclesia utiliter, & sancte institutorum aliquando in Ecclesia militante abolendum, quod in magnam vergeret perniciem Christianismi, irrationaliter asseritur, conformiter ad errorem Beguardorum, qui dicunt tertium Præceptum Decalogi scilicet: Sabbata sanctifices, jam cessare quantum ad justos.

De Ecclesia.

*Id. in Marc.
c. 3.*

Ecclesia Christi, neque surdos, neque mutos, neque cæcos, neque debiles, neque claudos recipit, hujusmodi autem habet Synagoga.

Huic assertioni hæc Facultatis censura est adscripta: Hæc propositio sic indistincte posita, innuere videtur, solos justos esse de Ecclesia militante; de illa enim fit ibi sermo: Hoc autem non consonat Doctrinæ Evangelicæ, quæ comparat Regnum Cælorum, quod est Ecclesia militans, sagæ missæ in mare, & ex omni genere piscium congreganti, & agro Dominico, in quo cum tritico sunt Zizania.

De

De B. Virgine Maria.

Sæcul. XVI.
A.C. 1527.

Contra B. V. honorem Erasmus sequentes protulit propositiones: I. *Divini favoris est, ait Gabriel ad Mariam, quod offertur, non tui meriti.* Hanc propositionem Facultatis Doctores hoc modo perstringunt.

Erasm. in Lucam c. I. & in elencho & in Joan. c. 2.

Si prætendatur supposita liberali beneficentia divina, respectu Incarnationis, quod beata Virgo nullo modo meruerit esse Mater Dei, cuius oppositum Ecclesia decantat, falsa est propositio & sacrosanctæ Virginis honori derogans.

II. *An in pueritia & infantia Christi perfecte fuerit revelatum Beatæ Virgini Christum esse Deum & hominem, mihi non liquet.*

Hæc propositio, ait Facultas crassam ignorantiam Evangeliorum arguit in ita loquente, cum credendum sit Beatæ Virgini Mariæ, tum perfecte revelatum extitisse Christum esse Deum & Hominem. Hoc illi Angelus, Elizabeth, Reges, Pastores, Simeon & Prophetæ satis indicarunt.

III. *Patris Gloriæ quoties erit servandum, nihil opus est tua interpellatione.*

Hæc propositio inquit Facultas itidem impia est, ritui Ecclesiæ contraria, & hæretica.

Sæc. XVI.
A.C. 1527.

*Erasm. in
elencho an-
not. 152.*

De Angelis.

*An Angelus sit simpliciter homine dignior
nescio, inquit Erasmus.*

Pf. 8. v. 16.

De hac propositione Doctores ita sentiunt: *Miseranda ignorantia ita dubitantis, cum etiam id aperta Scriptura explicet, de quo dubitat. Diminutum siquidem ab Angelis Filium Hominis, contestatur regius Propheta, cum inquit: Minuisti eum paulominus ab Angelis.*

De S. Petro.

*Erasm. in
Matth. c. 16.*

De hoc Sancto Erasmus hæc profert: *Petrus dicens Christo: Tu es Christus filius Dei vivi, certa & indubitata sententia professus est illum esse Messiam a Prophetis promissum singulari quodam amore Filium Dei. Hæc explicatio a Doctoribus hac censura notatur:*

Hæc propositio perperam explicat Evangelicam sententiam, præbens occasionem male sentiendi de divinitate Filii Dei cum Nestorio; non enim singulari quodam amore Dei in ipsum, Christus est Filius Dei, neque adoptione, & gratia, sed origine & natura.

De S. Paulo.

*Erasm. ad
Phil. c. 4. v. 3.*

Circa hunc articulum Facultas rursus agit de textu, in quo D. Paulus scribens

bens ad Philippenses quemdam, cuius nomen ignoratur, his verbis precatur: Sæcul. XVI.
A. C. 1527.

Te rogo Germane compar adjuva illas, quæ tecum laboraverunt in Evangelio. Cum vero Erasmus in sua Paraphrasi loco verborum latinorum: *Germane compar,* juxta Græcum textum legeret, *vera Germana Conjunx,* hanc explicationem Facultas sequenti Censura perstringit.

Temerarie a communi lectione latina Paraphrastes in Paraphrasi latina recedit, quam passim sequuntur Catholici Doctores Augustinus, Hieronymus, Ambrosius, & complures alii; neque audiendos censet Hieronymus eos, qui Paulum habuisse uxorem confingunt; quod omnes velit esse sicut seipsum: De inuuptis item & viduis loquens, bonum dicat illis esse, si sic permanserint, sicut ipse. Id autem nequaquam diceret, si uxorem ipse haberet. 1. Cor. c. 7. v. 8

De S. Dionysio Areopagita.

De hoc Sancto Erasmus hæc edixit. *Dionysius, qui in secunda Hierarchia, id est Ecclesiastica, priscos Ecclesiæ ritus satis copiose describit, eruditus recentior quispiam fuisse videtur, quam fuit Areopagites ille.*

Facultas vero pronuntiat: *Non vero eruditus, sed temerariis & novitatum studiosus videtur non esse Dionysius Areopagites,*

Sæc. XVI.
A.C. 1527.

tes, qui libros Ecclesiasticæ Hierarchiæ conscripserit; quandoquidem ab ipso Dionysio Areopagita fuisse conscriptos constat primum ex ipsis Ecclesiasticæ Hierarchiæ, & aliis ejusdem Autoris Libris: Deinde clarorum virorum testimonio idem comprobatur, postremo septima Generali Synodo id fit dilucidius, in qua magnus Dionysius appellatur is, qui libros scripsit Ecclesiasticæ Hierarchiæ.

Equidem ea erat illo ævo Facultatis sententia; hodierno tamen tempore, quo ad criticæ artis pondus cuncta librantur, hæc opinio deseritur; certum enim est, quod hi libri a cuncta retro antiquitate incogniti prima vice nonnisi Anno Domini millesimo quingentesimo trigesimo secundo ab hæreticis Severianis fuerint allegati in quodam colloquio, quod hi cum Catholicis Episcopis in Palatio Justiniani Cæsaris habebant: præterea omnibus perspectum est, quod nec Eusebius, nec S. Hieronymus ullam horum operum mentionem fecerint, pariter omnes Scriptores veteres, qui de Sancto Dionysio Areopagita mentionem inserunt, de præfatis ejusdem libris nil memorant. Denique hodie ostenditur, quod libri, qui S. Dionysio adscribuntur, nonnisi sæculo quinto fuerint enarrati, eisque primum
ineun-

ineunte sæculo sexto ingens auctoritas attribui cæperit.

Sæcul. XVI.
A.C. 1527.

De Theologia Scholastica.

Contra Theologiam Scholasticam ex Erasmo quinque propositiones damnatæ proferuntur, quarum prima est. *Theologia potius ars cæpit esse, quam scientia, potius humana pertractans, quam divina.* II. *Hanc Theologiam vitiarunt Doctores, tandemque eo deventum, ut divinæ Scripturæ regula nunc huc, nunc illuc detorta nostris deserviret affectibus.* III. *Illam pristina studiorum simplicitatem sustulit, quæ nonnisi per linguarum, ac bonarum, ut vocant, literarum cognitionem revocari potest.* IV. *Novam de rebus divinis loquendi methodum introduxit, quæ plures quæstiones & atrociores tumultus excitavit in orbe, quam olim Ariatorum temeritas.* V. *Multa definimus, quæ citra salutis dispendium ignorari possunt, v. g. quid discernat Patrem a Filio, quid ab utroque Spiritum Sanctum, quid intersit inter Filii Nativitatem a Patre, & Spiritus processionem, utrum Spiritus a Patre & Filio procedentis unicum sit principium, an duo.*

Erasm. in præfat. in S. Hilarium.

Alias insuper propositiones Facultas damnavit tanquam temerarias, e contra autem Theologiam Scholasticam summo opere extulit, quam ab Erasmo pluri-

Y 5 bus

Sæcul. XVI bus in locis fuorum operum fuisse de-
 A.C. 1527. pressam haud diffiteri possumus.

§. LXXV.

*Alicæ propositiones ex Erasmo
damnatae.*

Argentre
p. 174.

Postquam hæc censura in Sorbonnæ Collegio die decima sexta Decembris Anno millesimo quingentesimo vigesimo septimo pronunciata fuit, eadem Facultas subjunxit quasdam propositiones, quas per oscitantiam scribæ ad calcem primæ editionis additas fuisse constat. Inter has duæ erant *de Misericordia Dei*, quarum prima ita profertur: *Quantis malis patent, qui fiduciam posuerunt in mentis ac factis suis? II. Psalmista inquit, Domine ut scuto bonæ voluntatis tuæ coronasti nos, cum audis bonæ voluntatis, excludi intelligis fiduciam meritum. Hæ propositiones, ait Facultas, si fiduciam piam, & humilem respuant, aut inficientur, Lutheri impietati suffragantur; talis vero fiducia non modo utilis est, sed & necessaria ad habendam vitam æternam. Propositio sequens est de Cœlibatu Sacerdotum, de qua jam supra actum fuisse meminimus. Postremæ vero propositiones, quæ ex præfatione Erasmi in S. Hilarii opera decerptæ sunt, concernunt denuo Theologiam Scholasticam; inquit*

Psal. 5. v. 15.

inquit enim Erasmus. *I. S. Hilarius* Sæcul. XVI. A. C. 1527.
haud quaquam erat ignarus, quam periculi
plenum sit de rebus ineffabilibus loqui, in-
comprehensibilia scrutari. II. Summa no-
stræ Religionis pax est, & unanimitas. Ea
vix constare poterit, nisi de paucissimis desi-
niamus, & in multis relinquamus cuique li-
berum iudicium. III. Hoc eruditionis est
Theologicæ, nihil ultra quam sacris literis
proditum est, desinire. IV. Multa proble-
mata magis conveniret rejicere ad tempus,
cum videbimus Deum de facie in faciem. V.
Pudet, Rabinos alicubi nihil habere, quod
respondeant. Omnes hæc propositiones
pari censura, ac supra relatæ perstrin-
guntur.

§. LXXVI.

Erasmus apud Parisiensem Senatam
de Bedæ Syndico questus.

Paulo ante latam hancce censuram
 nunciabatur Erasmo, quod Parisien-
 sis Facultas Theologica quasdam pro-
 positiones ex ejus libris decerptas exa-
 mini subjiciat, imo earum nonnullas
 jamjam damnasset; quapropter is die
 decima quarta Novembris anno Christi
 millesimo quingentesimo vigesimo se-
 ptimo ad Parisiensem Senatam literas
 dedit, quibus de Natalis Bedæ Syndici
 ausibus querebatur, simulque Curiam
 roga-

Sæcul. XVI. A.C. 1527. rogabat, ut interposita auctoritate sua præfatum Doctorem juberet, ne ultra adversus eum iudicio contenderet, „ non „ equidem vereor, inquiebat, Erasmus, „ sed veneror Parisiensis Facultatis „ Theologicæ iudicium, nec etiam do- „ ctrinæ meæ veritati diffido, multista- „ men argumentis mihi cognita est Be- „ dæ violenta agendi ratio, ejusque „ pertinacia, nec me latet, multos ex „ Facultatis Doctoribus adversum me „ conspirasse, ceteros vero, quibus non „ idem cum Beda sensus est, obmute- „ scere, veriti, ne aut odium aut vexa- „ tionem sibi accerferent; mox enim ac „ nonnulli me defendere aggrediebantur, eis objiciebatur, quod ipsis etiam „ Lutheranis pejores essent; nec desunt, „ qui politioris scientiæ ignari, doctrinam meam capere nequeant, denique censura adversus me lata eo concepta est artificio, ut facile etiam magis sinceri ac docti Viri in errorem deduci possent; nonnullæ enim propositiones nonnisi truncatæ proferuntur, quæ a prioribus vel sequentibus separatæ perversum, conjunctæ vero sanum omnino sensum exhibent. „ Hæc ille, (*) an vero Curia Senatores hujus

(*) Quo autem loco, Continuator subdole
reti-

hujus epistolæ rationem habuerint, vel quid demum hac in re decretum fuerit, ignoratur; id tamen certum est, quod insuperhabitis Erasmi querelis censura fuerit promulgata, ut supra retulimus.

Sæc. XVI.
A.C. 1527.

§. LXXVII.

Apologia contra hanc censuram.

Ex hac censura Erasmi hostes non parum elati, eum calumniandi ansam captabant, nec tamen defuit celebris quidam nostri ævi Scriptor, qui Erasmi Orthodoxiam contra hanc censuram vindicare nitebatur. Percipiamus illius hac in re iudicium. „ Quod Theologi-
 „ cæ Facultatis censuras attinet, in-
 „ quit præfatus Auctor, nihil detrahi-
 „ mus submissioni, quæ ejusdem mem-
 „ bris scientiæ fama celeberrimis de-
 „ betur; nihilominus jure merito affir-
 „ mare possumus, quod summi Pontifi-
 „ ces, Reges, Principes, Cardinales, E-
 „ piscopi, omnesque doctiores Ecclesiæ
 „ Catholicæ Viri Erasmum tam amplis
 „ celebrarint elogiis, ut eorum aucto-
 „ ritas hujus censuræ vim æquare, ac
 „ sinistram, quæ adversus eum quorum-
 „ dam menti jam ante insita fuit, opi-
 „ nionem

Apologie ou justification d'Erasmus par M. Marsolier en 1713 p. 190.

reticet, ne Lector Erasmi propositiones a Facultate merito damnatas deprehendere possit.

Sæcul. XVI. „ nionem imminuere possit. Non e-
 „ A C. 1527. „ quidem affirmare audemus, Erasmus
 „ nunquam errasse, aut ejus Scripta
 „ nævo carere, sive argumenta, quæ
 „ pertractat, sive scribendi methodum,
 „ quam in maximo librorum, quos edi-
 „ dit, numero tenuit, consideremus;
 „ imo nec ipse Erasmus se nonnunquam
 „ hallucinasse diffitetur. Nihilominus
 „ etsi quandoque a receptis opinionibus
 „ aberrasset, quamplurima tamen
 „ alia adeo eleganter atque exquisite
 „ conscripsit, ut omnes, quibus unquam
 „ perstringi poterat, censuræ tantum
 „ nec effecerint, nec imposterum effi-
 „ cere poterint, quominus inter doctis-
 „ simos ac celeberrimos, quos Deus
 „ Ecclesiæ suæ dedit, viros numeraretur.
 „ Quapropter jam olim de qua-
 „ dam censura in Erasmus lata Xime-
 „ nius Cardinalis hæc verba pronuncia-
 „ bat: *Aut eo melius scribite aut non pro-*
 „ *hibete illos, qui Dei beneficio in scriben-*
 „ *do facultatem habent.*

Dupin. Bibl.
des aut. Eccl.
tom. 14. p. 77.
dans l'histoi-
re d' Erasme

„ Nullo igitur pacto Erasmus ab
 „ omni errore immunem fuisse contendo
 „ (& quis demum de hoc gloriari po-
 „ terit?) id tamen merito affirmare
 „ possum, quod illius ævo plura Docto-
 „ rum disputationi relicta fuerint, quæ
 „ hodierno tempore in dubium vocare
 „ haud ultra licet, eoquod sentiendi li-
 „ bertas

„ bertas a Concilio Tridentino sublata, Sæc. XVI.
 „ & credendi certitudo magis definita A.C. 1527.
 „ sit. Præterea Erasmi ætas haud
 „ parum redolebat illam præteritorum
 „ sæculorum ignorantiam, quæ inter
 „ plebæjos plurimas novitates introdu-
 „ xerat. Veteris disciplinæ rara admo-
 „ dum erat cognitio, quocirca cuncta
 „ credebantur esse nova, suspecta, ac
 „ reprehensione digna, si nulla de illis
 „ mentio ante duo vel tria sæcula fuit
 „ facta; quæ vero usu invaluere, tantam
 „ obtinebant auctoritatem, ut illis, sive
 „ demum abusus, sive legitima consue-
 „ tudo fuerint, sese opponere nemini
 „ liceret. Haud diffitemur, inter tot
 „ homines suis opinionibus præventos
 „ fuisse nonnullos, qui ceteris majori
 „ perspicacia pollebant, ast hi numero
 „ pauciores erant, cum tamen in præ-
 „ senti temporum vicissitudine res ple-
 „ rumque ex opinantium numero ac
 „ multitudine decidantur, nec suffragia
 „ examinentur, sed duntaxat numeren-
 „ tur. Fatemur etiam, quod quædam
 „ Facultatis censuræ etiam excedant
 „ ea, quæ a Tridentino Concilio defi-
 „ nita fuere, nulloque ferme negotio
 „ ostendere possemus, quamplurimos
 „ tam fidei puritate quam scientiæ fama
 „ clarissimos Erasmi ætate idem cum
 „ illo sensisse, & quidem in multis etiam
 „ „ arti-

Sæcul. XVI „ articulis, ob quos Erasmus censoria
 A.C. 1527. „ virga notatur. „

Lib. 20. ep. 3.

Ceterum quod Erasmus sese iudicio Ecclesiæ subjecerit, testatum facit epistola, quam ad Bilibaldum Amicum suum hoc anno Basileæ dedit. *Nec mihi non sufficiunt verba Christi*, inquit Erasmus, *sed mirum videri non debet, si sequor interpretem Ecclesiam, cujus auctoritate persuasus, credo Scripturis Canonicis* (idem jam pridem S. Augustinus ante Erasmus nos docuit) *Fortasse plus vel ingenii, vel roboris est aliis, ergo nulla in re tutius acquiesco, quam in certis Ecclesiæ iudiciis. Rationum & argumentorum nullus est finis.*

§. LXXVIII.

Erasmus de arctiori cum hæreticis societate postulatus.

Præterea alterum accusationis caput, quo Erasmi fides suspecta reddebatur, erat obsequiosa conversandi ratio cum hæreticis; Vitio vertebatur, quod illi ejus eruditionem magnis passim laudibus efferre viderentur, ipse vero literarium cum illis commercium haberet, ac multa mansuetudine & moderatione uteretur, eoquod hæreticos ad finem Ecclesiæ nullo aptiori medio revocari posse crederet. Hæc Erasmus egisse ac sensitse, haud diffitemur. Num vero
 homi-

homines venerari non possumus, quin & Sæcul. XVI.
 ipforum errores ratos habeamus? Tam- A.C. 1527.
 diu doctus ille Vir cum hæreticis co-
 miter egit, quamdiu illos lenitate ad fa-
 niora reduci posse sperabat, ubi vero
 hanc quoque viam incassum adhiberi
 compererat, haud ultra quicquam eis
 indulgebat, imo & palam adversus eos
 insurgabat; Hanc agendi rationem in
 Erasmo ipsemet Carolus V. Imperator
 commendabat, hancque in rem ad eun-
 dem die decima tertia Decembris hoc
 anno epistolam dedit, eo ipso tempore,
 quo in Sorbonna de proscribendis ejus
 libris agebatur (*).

Postquam enim Cæsar Erasmo gra- *Ep. Erasmi.*
 tes egerat, eo quod ei significasset, quod 415.
 Lutheri hæresis inclinare inciperet, Ca-
 rolus palam professus est, quod non mo-
 do

(*) Observes velim, quod in tota Londi-
 nensi collectione omnino nulla reperitur epi-
 stola a Carolo V. ad Erasmum scripta; ha-
 betur quidem lib. 18. epist. 31. quædam Erasmi
 epistola, & hæc quidem unica, ad quemdam
 Medicum, sed in eo nec verbulum de iis, quæ
 Continuator recitat, habentur, aut ergo hæc
 testimonia non sunt legitima, aut saltem Con-
 tinuator diligentius annotare debuisset loca, in
 quibus ea reperiri valent.

Hist. Eccles. Tom. XXXV.

Z

Sæc. XVI.
A.C. 1527.

do ipse sed univēsa Christiana Respublica, tantam felicitatem eidem in acceptis referre teneatur. His Cæsar disertis verbis subjunxit, quod Erasmus in hac occasione solus plura præstiterit, quam Imperatores, summi Pontifices, Principes, Universitates, omnesque Viri longe doctissimi illo ævo efficere potuerint. Inde vero sibi coram Deo & hominibus immortalem gloriam comparaverit. Postea Cæsar Erasmo tam prosperos successus gratulatur, eumque admonet, ut feliciter cæpta prosequeretur, eidemque spondet, quod in tam sancto proposito illum totis viribus suis adjuvare velit.

Hoc elogium satis superque est ad reprimendos omnes illos, qui Erasmus insimularunt, quod Luthero favisset, si autem hujus rei testimonium magis adhuc luculentum desideretur, sufficit ea ponderare verba, quæ Erasmus in quadam epistola ad quemdam Medicum data protulit. „ Novum hoc Evangelium „ inquit Erasmus, novum progignit hominum genus, scilicet obstinatos, impudentes, hypocritas, maledicos, mendaces, & sycophantas, Viros, qui inter semetipsos dissident, aliis vero molesti sunt, seditiosos, furiosos, & fraudulentos, quos tantopere abominor, ut si vel unica mihi cognita esset

„ fet

„ set civitas, in qua ejusmodi homines Sæcul. XVI.
 „ minime reperirentur, vellem ibidem A.C. 1527.
 „ domicilium meum figere.,,

Certo hæc descriptio non manifestat indolem cujusdam Viri, qui se Lutheranorum ac Zwinglianorum amicum profitetur.

§. LXXIX.

Diffidia Lutheranos inter & Zwinglianos.

Haud immerito (si tamen ab exterioribus signis iudicium petere fas est) Erasmus ad Cæsarem perscripsit, quod novi Evangelii progressus tandem mutuis decrescant diffidiis, quibus Sæctorum Principes circa Eucharistiæ articulum se invicem proscindunt. Lutherus enim substantiam panis unacum Corpore Christi permanere contendebat, Zwinglius ex adverso Eucharistiam non nisi signum ac figuram esse docebat. Credebat Lutherus nihil magis temerarium, magisque impium esse, quam literalem sensum negare. Zwinglius vero nihil magis absonum, ac crassum reputabat, quam eundem admittere. Erasmus, quem uterque suæ sectæ aggregare gestiebat, unacum omnibus Catholicis ad eos dicebat: *Vos omnes provocatis ad Scripturam, vosque veros il-*
Lib. 28. 3. §
29. 113. § 31.
59. p. 2102.
§c.

Z 2 lius.

Sæc. XVI.
A C. 1528.

lius interpretes esse, jactitatis: *Uterque ergo, antequam legem mundo præscribatis, inter vos convenite* (*). His auditis ambo, quod inter se convenire non possent, pudore suffundebantur, & quamvis exterius ignominiam suam operire niterentur, nihilominus reipsa in mente sua haud aliter sentiebant, ac Calvinus quondam calamo expresserat, hæc ad Melanchtonem amicum suum perscribens: *Maximopere interest, ad futura sæcula nullam divisionum nostrarum suspicionem pervenire; plus enim, quam concipi potest, ridiculum est, nos, dum toti mundo adversamur, tam parum inter nos ab initio Reformationis convenire.*

§. LXXX.

Bellum ab Hassiæ Landgravio, & Electore Saxonice adornatum.

Sleidan. in comm. l. 6. p. 188. Melanchton l. 4. ep. 70. Cochl. in actis Lutheri ann. 1528. p. 183. & seq. Raynald an. 528. n. 42.

Interim Philippus Hassiæ Landgravius novi Evangelii sectator longe studiosissimus ejusmodi tumultus probe prospexerat; unde primis jamjam annis, in quibus hæc diffidia fervebant, ea compone-

(*) Continuator oblitus erat, quod hæc jam priori §. LVI. ex Bossuetio descripserit; reliqua vero itidem ex eodem Auctore desoravit.

ponere studuit. Cum vero suorum fa-^{Sæcul. XVI.}
 ctionem numero & potentia prævalere ^{A.C. 1528.}
 cerneret, ac Cæsaris, Principum Catho-
 licorum, Ferdinandi, Electoris Brande-
 burgici, Guilielmi & Ludovici Bavariæ
 Ducum, necnon Moguntini Electoris,
 aliorumque minis terreretur, novi fœ-
 deris societatem pangere constituit. Ad
 hoc consilium Landgravium & Saxonix
 Electorem excitabat Otto Packius infi-
 gnis fraudum Architectus, qui dum Can-
 cellarii vices apud Georgium Saxonix
 Ducem agebat, utrique Principi sugges-
 serat, non modo in eorum ruinam, sed
 adversus ipsam quoque Religionem
 Principes Catholicos inita inter se so-
 cietate conspirasse; huic autem men-
 dacio ut auctoritatem conciliaret, for-
 mulam effinxit præfati fœderis, ejusque
 autographum se exhibiturum promisit.
 Hac fraude delusi ambo Principes, bre-
 vi obliviscebantur præcepti, quod Lu-
 therus velut reformationis suæ funda-
 mentum inculcabat, scilicet nullum in
 armis quærendum esse præsidium. I-
 gitur Landgravius, ac Saxonix Elector
 commentitium hoc fœdus inter Princi-
 pes Catholicos initum obtendunt, co-
 pias conscribunt, ubique encyclicas e-
 mittunt literas ac palam contra eos
 conqueruntur. Hæc res Principes Ca-
 tholicos summa admiratione defixos

Sæcul. XVI. tenebat, cum vero de ejusmodi conjuratione nequidem somniaffent, nullo negotio inustam labem a se amoliti sunt. Paulo post Landgravius confictam fœderis formulam ad Georgium Saxonie Ducem ejus Socerum transmisit. Dux quantocius Landgravio hunc in modum respondit: *Velit Dilectio vestra ostendere mihi mendacem virum illum hujus formulæ architectum, ut & ego, & quilibet ab eo cavere sibi sciat. Nisi enim id a Dilectione vestra impetravero, moveri possem ad suspicandum, quod ipsamet effinxerit hoc scriptum, atque ita velit captare occasionem, vestram inimicam voluntatem contra me, & totam Germaniam inchoandi.*

Cum igitur Packius hujus fœderis authographum, ut ante promiserat, exhibere non posset, detecta falsitate lis utrinque composita, & Packius de crimine falsi convictus ab ipso Landgravio derelictus fuit, demum vero postquam aliquamdiu in exteris Regionibus vagaretur, Antverpiæ extremo mortis supplicio mulctatus obiit.

§. LXXXI.

*Pax ingenti pecuniarum summa
coempta.*

Cochl. ib. p.
385.

Ceterum quamvis Principes ac Germaniæ Episcopi luculento prorsus argu-

argumento convincerentur, quod hæc armorum societas nonnisi commentitia, nec unquam ab eis mente concepta fuisset, proin ipsorum innocentia toti orbi patefieret, nihilominus Hassiæ Landgravius cunctis hisce rationibus nondum sibi satisfactum ratus, a quibusdam Episcopis ingentes pecuniarum summas extorsit, quibus sumptus in conscribendo exercitu factos resarciret, quamvis ipse fateretur, quod falsis relationibus deceptus arma sumpsisset. Numerabant itaque Moguntinus Archiepiscopus quadraginta aureorum millia, totidemque Episcopus Herbipolensis, & viginti millia Bambergensis. Hi enim, quamvis ab eo foedere omnino immunes essent, malebant tamen auro pacem redimere, quam injustum sustinere bellum, id eo vel maxime, quod Cæsar absens esset, nec Foederati Suevi illis tam subito opem ferre possent, eorum vero subditi magna ex parte Lutheri erroribus infecti essent. Igitur hi Præsules hac pecuniarum jactura suas ditio- nes a deprædationibus, ac devastatio- nibus liberabant, quæ semper bella, præcipue ubi agitur de Religione, consequuntur, conservabant insuper inter subditis suos tranquillitatem, totamque Germaniam a plurimis præservabant tumultibus, qui abs dubio sub specioso

Sæc. XVI.

A.C. 1528.

Sleidan. l. 6.

p. 188.

Sæcul. XVI. tuendæ puritatis Evangelicæ prætextu
 A.C. 1528. eo crudeliores fuissent, quo magis Lu-
 therani ubique se pro Verbi divini inte-
 gritate decertare, perperam jactitabant.

§. LXXXII.

*Turpis Landgravii quæstus a Me-
 lanchtone reprobatus & a
 Luthero laudatus.*

*Melanchton
 l. 4. ep. 70. l. 3.
 ep. 16. ibid.
 ep. 70. & 72.*

Melanchton hæc exactiones a Land-
 gravio factas minime approbat, nec tamen facinus alia ratione excusa-
 re poterat, quam futilem hanc causam allegando, Landgravium id egisse *ex pudore malo*, eo quod se deceptum fuisse, fateri erubesceret. Verum graviores longe curæ agitabant Melanchtonis animum; coram suis enim jactitabat, Papatum sine bello ac sanguinis profusione destructum iri. Præterea antequam Landgravius has turbas concitaret, ac paulo post rusticorum seditionem accenderet, Melanchton ad eundem Landgravium hæc perscripserat, *omnia citius perferenda, quam pro defendendo Evangelio ad arma veniendum*; nunc vero eo res deveniebat, ut iidem, qui paulo ante pacis conservatores haberi gestiebant, nunc primi bellorum incentores essent, & quidem nonnisi ex falsis rumoribus, prout ipsemet Melanchton fatetur, ac propte-

propterea ingemiscens exclamat: *Ob-ruor dolore considerans, quo scandalo bona causa gravetur!* Sæcul. XVI;
A.C. 1528.

Ex adverso Lutherus longe alia fo-
vebat consilia; licet enim inter ipsos
Protestantium Scriptores communis es-
set sententia, quod fœdus Catholicorum
Principum nonnisi inane commentum
fuiſſet, Lutherus tamen illud verum ha-
beri voluit; quapropter plures dedit li-
teras, multosque ubique divulgavit li-
bellos, quibus adversus Georgium Sa-
xonix Ducem impudentius furens, eum
vocare non erubuit, *stultorum stultissi-
mum, Moabum superbum, majora semper
viribus tentantem*, comminatus porro, se
Deum contra eum oraturum, ac postea mo-
niturum Principes, ut ejusmodi homines
exterminent, qui quiescere nolunt, nisi san-
guine Germaniam madere sentiant. Ve-
rius dixisset Lutherus, timeo, ne Lu-
therani, ut Germania ad tristem hunc
statum redacta videatur, illam in eum
conjicere ac ruinam incipere debeant
ab extirpandis Principibus, qui sese eo-
rum consiliis opponunt. Dux enim
Georgius haud minori studio Lu-
theranis sese opponebat, quam Elector
Saxonix huic sanguine junctus eisdem
favebat; hanc ob rem Lutherus Ducem
indigno prorsus modo habuit, ut patet
ex epistola, quam de eo ad Wences-

*Sleidan. ib.
Dav. Chytr.
in Sax. ad
ann. 1528.
p. 312. & 983
Luth. in ep.
ad Wencesl.
Lyncum to. 7*

*Cochl. l. 1. tit.
p. 187. 188.*

Sæcul. XVI
A. C. 1528.

laum Lincum Apostatam Augustinia-
num perscripsit. Data est hæc epistola
Mense Junio die Dominica post Festum
S. Barnabæ. Ceterum Lutherus in hac
eadem epistola hunc fidei desertorem
appellavit, *Servum Christi in Evangelio,
ac Fratrem suum.*

§. LXXXIII.

Disputatio Bernensis.

Sleid. comm.
l. 6. p. 183.
Vid. supra
Lib. LXV.
Raynald. hoc
anno num. 18
Cochl. de act.
Luth. l. c.
p. 188.

I neunte hoc anno non minus nomina-
ta, quam simul scandalosa habeba-
tur Bernensium disputatio, quæ ency-
clis literis die decima septima Se-
ptembris Anni millesimi quingentesimi
vigesimali septimi a Bernensi Pago indi-
cebatur. Agebat tum Moguntiaë Joan-
nes Cochlæus, cum vero probe prospici-
ceret atrocem omnino injuriam, quæ
ex ejusmodi colloquio Religioni Chri-
stianæ inferretur; ideo nulla mora da-
tis ad Bernenses literis eos hortabatur,
*ut divinæ legis, auctoritatis Ecclesiæ, Sedis
Apostolicæ, & legum Imperialium ratio-
nem haberent, nec tot sæculis probatos æ-
que ac receptos fidei nostræ articulos per
infaustam hanc disputationem in dubium re-
vocarent. Maxime vero reprobavit metho-
dum judicandi in hoc colloquio, eoquod reje-
cta omni traditione, ac Doctorum Ecclesiæ
expositione, soli textus Sacræ Paginæ tam
novi*

novi quam veteris Testamenti inter partes Sæc. XVI.
discernere ac judicare deberent. Quando A. C. 1528.
quidem, inquit Cochlæus, ipsa Sacra Scri-
ptura secundum se sit res inanimata, quæ
eloqui non possit, nec judicare, utra partium
ipsam rectius intelligat, aut exponat, ne-
que clamare possit contra eos, qui ei vim fa-
ciunt, aut retortam velut per capillos in
devium sensum trahunt. Lex autem divina,
prosequitur idem Doctor, nequaquam sta-
tuit talem disquirendi modum, sed jussit, si
quid ambiguum fuerit, ut illud proponatur
summo Sacerdoti, qui pro tempore fuerit,
ut ejus stetur judicio, & qui acquiescere illi
noluerit, morte moriatur (*).

§. LXXXIV.

Initia disputationis Bernensis.

Verum Bernenses non modo Cochlæi,
sed & ceterarum Helvetiæ Tribuum
monita flocci habebant, suamque dispu-
tationem præstituta die septima Janua-
rii hoc anno millesimo quingentesimo
vigesimo octavo inchoabant. Protra-
hebant suas altercationes ab hac die us-
que ad vigesimam sextam ejusdem
Mensis

(*) En ! qualiter ex Dei præscripto
Deutr. 17. hæretici contumaces plectendi sint.
Qua ratione ergo S. Inquisitionis tribunal sug-
geri potest ?

Sæc. XVI.
A.C. 1528.

*Sleid. l. cit.
Cochl. ut supra.
Melchior
Adam in vita
Halleri.*

Mensis: convenerant quoque turmatim Basileensium, Scaphusiensium, Tigurinorum, & Abbatiscellensium Deputati. Aderant etiam S. Galli, Mulhusii, & Grisonum Legati. Suos pariter Oratores ablegabant urbes Imperiales, Argentina, Ulma, Augusta, Lindavia, Constantia, & Gena: Episcoporum tamen nullus nec per se, nec per Oratores suos huic conventiculo interesse voluit. Solum Conradus Tregarius Ordinis S. Augustini Alumnus pro tuenda fide accesserat; turpe enim existimabat, si Catholicorum nullus in hoc confessu compareret; ast ille, quamvis natione Helvetus proin eorum popularis, indigno prorsus modo receptus, secedere compellebatur. Cum vero hæretici numero, ac potentia longe majores essent, facili negotio disputantium suffragia ad sectæ suæ decisionem inclinabant. Primi Bernenses Theologi disputationi initium fecere. Hi erant Franciscus Kolbus, & Bertholdus Hallerus. Inter ceteros vero præprimis Zwinglius, Oecolompadius, Bucerus, Capito, Blaurer, pluresque alii *Sacramentarii* suo quoque suffragio ea firmabant, quæ ab aliis fuere prolata. Versabatur totius disputationis cardo circa articulum de Eucharistia, cujus Orthodoxam Catholicorum Doctrinam cum Conradus Trega-

Tregarius tueri vellet, quantocius filere Sæcul. XVI.
 jubebatur; caussabantur enim, illum a A.C. 1528.
 aliis rationibus, quam ex S. Codice pe-
 titis uti voluisse, mox tamen accerse-
 bant Andream Althamerum, qui nomi-
 ne Catholicorum æque ac Lutherano-
 rum præsentiam realem Corporis Chri-
 sti in Eucharistia propugnabat, hanc-
 que in rem libros edebat.

§. LXXXV.

Approbatio decem articulorum.

Zwinglius prolixum valde sermonem Sleidan. l. 6.
 de coena habuit, quo suam opinio- p. 184.
 nem explicare, ac stabilire conabatur; Cochl. p. 190.
 ast nondum plene in eandem sententiam
 itum erat ab omnibus congregatis, ut
 ingenuè fatetur Bucerus. Nihilomi-
 nus decem approbarunt articulos, qua-
 propter Bernensis Magistratus aliæque
 urbes edicto prohibuerunt, ne deinceps
 subditi eorum Episcopis obedirent;
 deinde Missæ Sacrificium, preces pro
 defunctis, Statum Monasticum, alios-
 que usus atque Ecclesiæ Catholicæ ri-
 tus per totam eorum ditionem abroga-
 runt. Sequebantur Bernensium exem-
 plum Constantienses, qui jam antea
 magna ex parte novi Evangelii dogma-
 ta approbare cæperant, nunc vero iti-
 dem imagines & altaria demoliti sunt,
 necnon

Sæcul. XVI.

A C 1528

*Crusius in
annal. Suev.
Melch. A-
dam in vit.
Ger. Theol.*

necnon Missæ cæremonias aboleverunt, instigante Ambrosio Blaurer, qui ex Abbatia Alberspacensi prope Wittembergam Religionis suæ desertor Anno Domini millesimo quingentesimo vigesimo tertio Lutheri libris seducebatur, suumque monasterium relinquens, aliquamdiu apud quosdam sibi sanguine junctos diversabatur. Cum autem cœnobii sui Abbas illum vehementer urgeret, ut ad suum reverteretur monasterium, ille se rediturum spondit, sub iis tamen conditionibus, quæ eidem concedi haud poterant; quapropter a fide vera defecit, ac Constantiæ, quo se receperat, Lutheri errores sermonibus suis divulgavit, inde vero Bernam delatus disputationi unacum Zwinglio & aliis interfuit. Hunc fidei desertorem Calvinus in suis epistolis valde amplis celebrat encomiis.

§. LXXXVI.

*Nova reformatio a Bernensibus ad-
optata.*

*Cochl. de art.
Et script.
Luth ann.
1528. p. 100.
Raynald. hoc
an. n. 19. Et 21* Bernenses, ut perpetuam abjuratæ Christi Fidei memoriam posteris relinquerent, diem & annum, quo in suo Pago sacra ejurarunt, cuidam columnæ aureis literis studiose insculpebant, eodemque tempore nuncium mittebant foederi,

Sæcul. XVI.
A.C. 1528.

cederi, quod olim cum Galliarum Rege
 inibant; merito enim sese indignos re-
 putabant, ut a vera Christi fide defi-
 cientes sub Regis Christianissimi vexil-
 lis militarent, ejusque jussa acciperent.
 Ceterum approbatis decem hisce ar-
 ticulis, novam, ut observat Cochlæus,
 instituerunt reformationem, in qua præ-
 ceperunt. *I. Acceptarentur decem illi ar-
 ticuli. II. Subditi ipsorum nulli ex quatuor
 Episcopis obediant in causis Ecclesiasticis,
 veluti in rebus Matrimonia concernentibus,
 excommunicationibus, & absolutionibus,
 vel in receptione S. Chrismatis, oblationibus,
 & decimis. III. Absolverunt a juramen-
 tis Episcopo præstitis Decanos, Pastores,
 Prædicatores, & quoslibet Ecclesiæ Mini-
 stros. IV. Præceperunt omnibus subditis
 suis, ut Missas, & Altaria in Ecclesiis pe-
 nitus abolerent, imagines quoque per totum
 eorum territorium demolirentur, prout jam
 antea factum esset in urbe ipsa. Deinde ab-
 rogarent exequias, defunctorum anniversa-
 ria, & suffragia, dedicationes templorum,
 habitus Monachorum & Monialium, usum
 sacrarum vestium, dies jejuniorum, & festa
 Sanctorum. V. Permisserunt Sacerdotibus
 uxores, novas nuptas Monachis, sacrilegos
 maritos Monialibus. Denique, ut fidei sui
 incertitudinem, inquit Cochlæus, ac con-
 scientiæ palpitationem, metumque proderent,
 declararunt, sese, ubi meliora docti fuerint,*

Sæcul. XVI. *ea libenter amplexuros esse, eamque novam*
A.C. 1528 *Reformationem suam velle vel augere, vel*
minuere.

Scripsere adversus novum hoc reformationis genus ipse Cochlæus: Eekius vero calamum strinxit contra Bernensem hanc disputationem, qui etiam præter decem illos articulos adhuc alios viginti quinque errores, quos Bernenses in hoc colloquio receperunt, commemorat præter decem articulos, qui sibimetipsis adversantur, necnon quindecim S. Scripturæ textus, quos inter disputandum adulterarunt. Cochlæus vero articulatim cuncta novæ reformationis capita confutat, ac prolixius discurret contra nuptias Monachorum, & Monialium.

§. LXXXVII.

Lutheri scripta adversus Zwinglium,
& Anabaptistas.

Cochl. l. cit.
p. 192.

Cum Zwinglii & Oecolampadii factio indies numero cresceret, magnosque in Helvetia progressus faceret, Lutherus rem edoctus hoc anno adversus ambos hosce Hæresiarchas librum conscripsit, cui titulus: *De Cæna Christi confessio Lutheri.* In eo opinionem suam circa multos fidei articulos declarat, suosque æmulos vocat Sathanæ mancipia.

pia. Verum hi Luthero vicem repen-
 dere haud cunctabantur. Ceterum Lu-
 therus in prima libri sui parte fidei suæ
 confessionem profert, quam pro supre-
 ma suæ mentis sententia tam in vita
 quam post mortem haberi jubet. Ibi-
 dem omnino negat liberum arbitrium,
 atque inquit: *Rejicio simul ac damno, quod
 vigilæ, Missæ ac anniversarii dies pro de-
 functis sint utiles, atque affirmo, illos esse
 Diaboli nundinas. Nego, quod sancti sint in-
 vocandi, quod extrema unctio, Matrimo-
 nium, & Ordo Sacerdotalis Sacramenta
 sint.* Denique in hæc verba prorumpit:
*Quamvis magnus, gravis, turpisque
 peccator fuerim, atque juventam meam da-
 mnabiliter consumpserim, ea tamen sunt ma-
 xima peccata mea, quod tam sanctus
 Monachus fui, & tot Missis ultra quindecim
 annos Dominum meum offendi.*

Edidit insuper Lutherus alium li-
 brum Germanice scriptum *de communione
 sub utraque specie*, quem itidem confuta-
 vit Cochlæus.

Paulo ante idem hæresiarcha pari-
 ter Germano sermone concinnavit li-
 brum contra Anabaptistas; eorum enim
 quamplurimi Luthero objectabant, quod
 ipse harum omnium diversarum Secta-
 rum auctor esset, licet infelices hosce
 tam atrociter puniri quereretur, quibus
 tamen (ut ajebant illi) *satis pœnarum fo-*
Hist. Eccles. Tom. XXXV.

A a ret

Sæcul. XVI.
 A.C. 1528

Cochl. ibid.
 p. 178.

Sæcul. XVI.
A.C. 1528.

Ulemb. in,
vit. Luth.
c. 19.
Raynald. hoc
ann. n. 28.

ret, esse in inferno æternaliter. Id tamen præ-
primis in hoc Lutheri libro notatu di-
gnum occurrit, quod cum primam dis-
cutiat Anabaptistarum propositionem,
qua Baptismum parvulorum ex eo reji-
ciunt, quia cum Ecclesia Catholica ni-
hil commune habent, mox Lutherus ex
eadem ratione probet, quod Sacrum e-
tiam Codicem, pluraque alia præclara
mysteria rejicere deberent; eodemque
loco Lutherus præter morem suum Ro-
manam Ecclesiam, ac supremum Pen-
tificatum extollat, *Nos fatemur,* inquit
sub Papatu esse bona Christiana, nec omnia
rejici deberet propter odium Papæ, imo om-
nia bona Christiana, atque etiam inde ad
nos defluerunt: Nempe confitemur in Pa-
patu veram esse Scripturam sacram, verum
Baptismum, verum Sacramentum Altaris,
veras claves ad remittenda peccata, verum
prædicandi officium, verum Catechismum,
veluti orationem Dominicam, ac decem præ-
cepta, & articulos fidei. Adeo nempe si-
bimetipsum Lutherus in libris suis con-
tradicebat. In reliqua autem libri par-
te totus in eo erat, ut Anabaptistas
confutaret, quamvis ceteroquin eos
quoque a culpa excusare niteretur.

§. LXXXVIII.

§. LXXXVIII.

Sæcul. XVI.
A. C. 1528.*Anabaptistarum supplicium.*

Interim Anabaptistæ in Helvetia indies numero invalescebant. Cum vero eos in sua secta magis magisque obfirmatos cerneret Magistratus Tigurinus, severum oppido edictum contra eos promulgavit, atque ex illis plurimos carcere, minusque reos exilio, seditionis vero auctores mortis supplicio multavit; quocirca ceteri ad Groningensem Toparchiam confugere compellebantur, inde vero per plura Helvetiæ loca sese diffundentes omnia sus deque vertebant. Præcipui horum tumultuum Auctores erant Georgius Blaurok, Conradus Grebelius, & Felix Manzus. Horum primus, cum inquieti ingenii vir esset, atque ad Münzeri exemplum sibi per Principum everfionem chimæricum Regnum polliceretur, eo impietatis prolapsus est, ut sibimetipsi attribueret ea omnia, quæ Christus Dominus de se ipso in S. Literis edixerat, atque ideo se Dei panem, ac Baptismi restauratorem appellitabat. Grebelius itidem, & Manzus contra Magistratus, & Principatus declamabant, hosque aboleri petebant; insuper eis tributa pendere prohibentes, cuncta omnibus communia fieri con-

Mëshov. hist.
Anab. l. 3.
Raynald. ad
ann. 1528.
n. 76.

A a 2 tende-

Sæc. XVI.
A.C. 1528.

tendebant. Abundabant Basileensis, Scaphusiana, & S. Galli Tribus, plaraque alia loca ejusmodi fæcis hominibus; qui ubique Baptismum iterabant, populumque adversus Magistratus ad seditionem commovebant, quin Principes ulla legum severitate eorum petulantiam cohibere possent.

*Utemberg.
l. cit. c. 18.
Joan. Faber
lib. contra
Casp.
Schwenk-
feld.*

Hos inter Balthasar Hubmeyerus Walduftæ natus, cujus alibi meminimus, Tiguro pulsus in Moraviam fecerant, ubi errore suo Jacobum Hutterum infecit, tandem vero captus, Viennæ in Austria Anno priore rogi supplicio affectus est. Manzius vero ejus Discipulus itidem jussu Tigurini Magistratus comprehensus, eodem anno aquis submersus obiit. Blaurokius virgis cæsus ex Tigurino Pago relegatus fuit, demum vero in Tyroli infausta morte periit. Casparus denique Schwenkfeldius Nobilis Silesita Anabaptistarum societati sese adjunxit, novosque errores prioribus superaddidit; quippe non modo parvulorum Baptismum damnavit, sed etiam a Christo Domino naturam humanam exclusit, Magistratum auctoritatem rejecit, Sacram Scripturam non nisi mortuam literam appellavit, privatis vero potius contemplationibus, & visionibus credendum docuit. Composuit pro tuenda Lutheri doctrina librum, quem

quem Wratislaviensi Episcopo nuncu- Sæcul. XVI.
A.C. 1523.
pavit, postmodum vero novam conflavit sectam, hoc autem anno patria sua expulsus fuit. Sub idem tempus David Georgius, qui in Belgio hæresin suam propagavit, Anno millesimo quingentesimo vigesimo octavo Delphiis virgis mulctatus, demum vero lingua ejus perforata, sexennali exilio puniebatur. Prædicabat etiam in superiori Germania Anabaptistarum doctrinam Melchior Hoffman, sed brevi Argentinæ in vincula coniectus hæsit. Jacobus Kautz eosdem errores Wormatiæ spargebat, inde vero ab Electore Palatino ejiciebatur. Denique Helvetia, Germania & Belgium ejusmodi fanaticis hominibus ubique replebatur, qui omnes a nemine missi, nulla scientia tincti, quicquid insana eis Phantasia dictitabat, effutiebant, ubique seditiones commovebant, ac millenis sacrilegiis, & abominandis sceleribus sacra quæque foedabant.

In Gallias quoque hoc anno Lutheri hæresis manifestius irrepere cæpit; quapropter Borbonius Cardinalis nomine totius Cleri in quodam Parisiensi conventu ad finem prioris anni habito Franciscum Regem impense rogabat, ut pro munere suo tanquam Rex Christianissimus malo adeo ingenti congruum

A a 3 oppo-

Sæc XVI.
A.C. 1528.

opponeret remedium. Jufferat itaque Rex promulgari edicta longe severissima contra eos, qui novos errores diffeminasse, ac diversas a sana fide opiniones tenere convincerentur. Jam anno salutis millesimo quingentesimo vigesimo primo Lutherus, & Zwinglius celeberrimos, quos habebant, discipulos suos in Franciam emittebant. Convenerant postea utriusque hæresis Sectatores Argentinæ in æde Martini Bucerii, qui tum dubius hærebat, imo longo post tempore fluctuabat, utrum Lutheri vel Zwinglii sectæ nomen daret; unde Bucerii affectu sese nominabant Lutherozwinglianos, ne varietate dogmatum factionis suæ unitatem destruerent. Inde factum, ut Parisiensis Universitas brevi exteris repletur, qui in Nobilium amicitiam sese insinuantes, sacri Codicis libros pro suo arbitrio interpretabantur, eorumque explicationes Græco, ac Hebraico textui consonas esse mentiebantur.

§. LXXXIX.

*Provinciale Concilium Senonense
Parisius celebratum.*

*Labb. Coll.
Conc tom. 14
p. 432.*

Hæresis latius in Francia propagatæ periculum tandem Cardinalis de Prato Senonensis Archiepiscopi fervorem,

rem, ac fidei studium excitabat. Is
 tum Franciæ Cancellarius plus ceteris
 apud Francisci Regis Senatū gratia,
 & favore pollebat; unde totam Regiæ au-
 thoritatis amplitudinem impendendam
 censebat, ut recens hæreticorum pro-
 genes in suo ortu supprimeretur. Cum
 igitur eo tempore Senonensem Archi-
 episcopatum regeret, ac Parisiensis E-
 piscopus tum nonnisi ejusdem Suffraga-
 neus esset, Lutetiæ Parisiorum in Ec-
 clesia FF. Eremitarum S. Augustini Pro-
 vinciæ suæ Concilium congregavit.
 Convenerant præter Generalem Vica-
 rium (*) sex Episcopi ejus Suffraganei,
 nimirum Carnutensis, Meldensis, Pari-
 sinus, Aurelianensis, Nivernensis, &
 Trecensis. Agebat hæc Synodus præ-
 primis de duobus articulis, nimirum de
 damnatione errorum Lutheri, ac de re-
 formatione Ecclesiæ in rebus, quæ di-
 sciplinam & mores spectant. Dabatur
 huic Concilio initium Anno Christi mil-
 lesimo quingentesimo vigesimo septimo,
 seu octava ante Pascha die tertia Fe-
 bruarii, eodem autem anno die nona
 Octobris illud absolvebatur. Eminuit
 inter ceteros in hac Synodo tam pro-
 fundæ eruditionis laude, quam tuendæ

A a 4 disci-

(*) Is erat Petrus de l'Étoile, seu Stella
 Generalis Vicarius Episcopi Aurelianensis.

Sæcul. XVI.
 A.C. 1528.

Sæcul. XVI. A.C. 1528. disciplinæ ac conservandæ fidei studio
 celebris Jodocus Clichovæus Novopor-
 tuensis in Flandria natus, Parisiensis
 Facultatis Theologicæ Doctor.

§. XC.

Epistola Synodalis hujus Concilii.

Item Archiepiscopus Senonensis nomi-
 ne ac consensu hujus Concilii scripsit
 epistolam, in qua præprimis ita pronun-
 tiat: *Ecclesia universa errare non potest, ut-
 pote quæ regitur Spiritu veritatis; hinc ex-
 communicamus, & anathematizamus omnem
 hæresim. Universos insuper, qui aliter
 quam Romana credit, & prædicat Ecclesia, &
 credere pertinaciter attentant, a communione
 fidelium separatos declaramus.*

Postea recenset Hæreticorum errores
 de Sacramentis, ac prosequitur hunc in
 modum: *Affirmant laicos & mulierculas
 æque atque Presbyteros posse absolvere; per-
 mittunt laicis sicut Sacerdotibus Euchari-
 sticæ consecrationem. In Clericis in Sacris
 Ordinibus constitutis cælibatum non admit-
 tunt. Monachis aliisque voto adstrictis li-
 bertatem lasciviendi indulgent. Romanorum
 Pontificum decreta, decretales epistolas, etiam
 & Canones conciliares enervare contem-
 dunt. Sacram Scripturam relicto sensu Pa-
 trum Orthodoxorum vellicare, & ad suum
 sensum reprobum contorquere nituntur.* Has

ob

ob rationes prosequitur Archiepiscopus, *Sæcul XVI.*
Veriti, ne hoc veneficum virus in nobis cre- *A.C. 1528.*
dito Domini agro radices ageret, antiquos
Canones ex potestate nobis concessa renova-
mus, ac juxta sacrum Lateranense Conci-
lium excommunicamus omnem hæresim, ex-
tollentem se adversus Orthodoxam, & Ca-
tholicam Ecclesiam. Universos insuper, qui
aliter quam Romana Ecclesia credunt, eos
a communione fidelium separatos decernimus.
Si autem ad unionem Fidei Catholicæ redire
noluerint, perpetuo carceri deputentur ad
agendam pœnitentiam in pane doloris, &
tristitiæ. Damnati vero de hæresi, si laicæ
sunt, statim iudicio sæculari relinquuntur;
si Clerici, a suis Ordinibus degradentur, ut
eos sæcularis Iudex ad suum forum recipiat.

Ceterum, quia Episcoporum numerus ad
 degradationem per sacros Canones requisitus
 non facile potest adunari, concedimus, ut
 cum Sacerdos fuerit exauctorandus, possit
 accersitis Abbatibus aliisque Prælatibus solus
 Episcopus illum degradare. Qui vero in hæ-
 resim semel abjuratam reciderint, sæculari
 iudicio sine ulla audientia relinquuntur. De-
 claramus eos, qui in iudicio hæresim abjura-
 runt, & post in eandem vel aliam relabun-
 tur, vel hæreticos acceptant, vel eis favent,
 licet prius hæresis crimen non plene contra ipsos
 probatum fuisset, velut relapsos haberi. Cum
 tamen Ecclesia redeunti non claudat gremi-

Sæcul. XVI. *um, si pœnitentiæ signa apparuerint, pœni-*
A.C. 1528. *tentiæ & Eucharistiæ Sacramenta ipsis rela-*

psis non sunt deneganda. Hæreticorum bo-
na si laici sint, fisco sæculari, si vero Cleri-
ci, applicentur Ecclesiis, a quibus stipendia

receperunt. Confiscationis autem executio
non fiat per judicem sæcularem, nisi prius a

Cap. super eo *Judice Ecclesiastico super crimine sententia*
de hæret. in 6. *fuerit pronunciata. Præcipimus etiam, ut*

Cap. excom- *congregationes hæreticorum occultæ prohibe-*
municamus *antur, ac ne quis Lutheri libellos legat, vel*
I. §. Quia ve- *circumferat. Ordinamus insuper, quod Suff-*
ro. & §. mo- *fraganei nostri sub pœnis a jure statutis exi-*
neantur de *gant Sacramentum de prodendis hæreticis,*
hæreticis. *ac conventicula illicita facientibus; ac præci-*

pimus, ut Rectores civitatum fideliter & effi-
caciter Ecclesiam in negotio hæresis pro viri-
bus adjuvent, atque ut Suffraganei hoc no-
strum tam salutare, tamque pro conditione
temporum necessarium statutum suis statutis
synodalibus adjiciant, ac in primæ eorum Sy-
nodo faciant publicari.

§. XCI.

Particulare hujus Synodi decretum de
fide Ecclesiæ, ejusque in-
fallibilitate.

Condidit hæc Synodus sexdecim De-
 creta de fide, ex quibus primum
 concernit unitatem, & infallibilitatem
 Ecclesiæ. Hac in re declarat, quod Ec-
 clesia sit Christo desponsata in fide, proin ab

ea

ea per infidelitatem, aut ullum circa mores errorem nunquam divelli possit; ea quippe columna est, & firmamentum veritatis bene fundata supra firmam petram; in quam licet descendant pluviae, irruant venti, inundent flumina, everti tamen non poterit, neque portae inferi praevalerunt adversus eam. Ea est Tabernaculum Dei cum hominibus, extra quam nemo salvus esse potest, una igitur sancta est, & infallibilis Ecclesia, quae nec a charitate decedere, nec ab orthodoxa fide deviare valet, cujus auctoritatem, quae in fide & moribus secutus non fuerit, infidelis deterior habetur.

Saecul. XVI.
C A. 1528.

De visibilitate Ecclesiae.

Alterum Decretum manifestae impietatis convincit eos, qui unitatem & Sanctitatem Ecclesiae inficiantur, postea illam esse visibilem demonstrat contra Lutheranos, qui eam invisibilem, totamque spiritualem, ac proin nobis incognitam confingunt. Nam quis, prosequitur Synodus, futurus contentiois modus, ubi provocatur ad Judicem, qui nec inveniri nec interno sci posset. Atqui, inquit Christus: Si te corripientem frater tuus non audierit, dic Ecclesiae. Quid autem crassius, aut quid inutilius fingi poterit, si prorsus occulta sit, & impervestigabilis Ecclesia. Quisquis igitur invisibilem, incertisque sedibus errantem

errantem

Sæcul. XVI. rantem Ecclesiam dixerit, non modo hæresin
A. C. 1528. dixisse, sed hæresum omnium puteus fuisse
judicetur.

De Auctoritate S. Conciliorum.

Tertium Decretum declarat: *Absurdum videri, si tanto studio Deus veteri Synagogæ adsuit, ut si quid in lege difficile vel ambiguum occurreret, quod citra controversiam a iudicibus absolvi non posset, designato tamen cætu non careret, cuius arbitrio res tota finiretur, Ecclesiam tamen longe Synagoga potiore ita necessariis destituat auxiliis, & prorsus non habeat, cui suborta de fide quæstione tuto satis inniti possit. Proinde cum certa sit, & infallibilis Ecclesie regula, ea profecto sacris generalibus Conciliis auctoritas derogari non potest, quæ proxime universalem repræsentant Ecclesiam. His igitur ea decernendi, quæ ad sinceritatem fidei, extirpationem hæresum, Ecclesie reformationem, & morum integritatem pertinent, potestas adimi nequit. Sancta itaque & inviolabilis est Conciliorum universalium auctoritas, cui quisquis pertinacius refragatur, hostis fidei jure optimo censeri debet.*

De Libris Canonicis.

In quarto Decreto ita statuitur: *Cum non humana voluntate allata sit Prophetia,*

tia, sed Spiritu sancto inspirati, locuti sint Sæcul. XVI.
 sancti Dei homines, omnis Scriptura divini- A C. 1528.
 tus inspirata utilis sit ad docendum, arguen-
 dum, ad corripiendum, & ad erudiendum.
 Ast nihil minus mutilum, & prorsus invali-
 dum esset argumentum ex Scripturis sum-
 ptum, si pro cuiusvis arbitrio, quod addu-
 ctum fuerit, sacrum aut profanum, canoni-
 cum aut apocryphum habeatur. Obortis igitur
 de fide dissidiis frustra sæpe Scriptura
 consulitur, nisi Ecclesie certa & infallibilis
 litem dirimat auctoritas, quæ Canonicum li-
 brum ab apocrypho, Catholicum sensum ab
 hæretico discernat. In enumerandis itaque
 Canonice Scripturæ libris, qui præscriptum
 Ecclesie usum & auctoritatem non sequitur,
 sacrum Carthaginense Concilium tertium,
 Innocentii, & Gelasii decreta, & denique
 definitum a S. Patribus librorum Catalo-
 gum respuit, aut in exponendis Scripturis
 proprii Spiritus iudicium sequitur, is veluti
 schismaticus ac hæreticus reprimatur.

De Traditione.

Quintum Decretum concernit Tradi-
 tiones, earumque necessitatem,
 atque auctoritatem confirmat, eoquod
 S. Paulus eas non tantum traditiones jubet a *Epist. 2. ad*
 Thessalonicensibus observari, quas per *Epist. Thess. c. 2. v.*
 Iohannem, sed etiam quas per omnem sermonem *15.*
 didicissent. Neque prætermisisse putandus est *1. Cor. c. II.*
v. 34.
 cetera,

Sæcul. XVI. A.C. 1528. *cetera, quæ circa Eucharisticæ Sacramentum Corinthiis sese dispositurum, cum venisset, ultro sponderat, quorum plurima licet a Christo forte non sint instituta, id tamen ratum est, quod dictante Spiritu sancto Apostoli tradiderint, veluti quod ipse Christus tradidit, & in sui commemorationem fieri præcepit. Oportet igitur nos auctoritati Patrum, consuetudinique Majorum per tantam annorum seriem protelatae, etiam non percepta ratione credere, eamque ut antiquitus tradita est, jugi observantia ac reverentia custodire. Quam si quis eo prætextu pertinacius rejiciat, quod non legatur in Scripturis sacris, ut Hæreticus, & Schismaticus habeatur.*

De Constitutionibus, & consuetudinibus Ecclesiasticis.

Sextum Decretum loquitur de Constitutionibus, & consuetudinibus Ecclesiæ, quas cum debita submissione recipi vult, eoquod a summis Pontificibus, & sacrosanctis Conciliis statuta sint, quæ, qui spernit, Christum spernit; atque ideo D. Paulus hominem contentiosum, qui legem illam de velandis mulieribus non probavit, quod ea forte non inniteretur Scripturæ, Ecclesiastica consuetudine refellendum censuit.

I. Cor. c. II. v. 16. Si quis autem, inquit Apostolus, videtur contentiosus esse, nos talem consuetudi-

tudinem non habemus, neque Ecclesia Sæcul. XVI. A.C. 1528
 Dei. Oportet itaque Præpositis obedire, qui pervigilant quasi rationem pro animabus nostris reddituri, & si quid instituerint, quamvis hujus rei certum de Scripturis non proferatur exemplum, earundem tamen Scripturarum etiam hac in re a nobis tenetur veritas, cum hoc facimus, quod universæ placet Ecclesie, quam ipsa Scripturarum commendat auctoritas.

De jejunio, & abstinentia.

Septimo Decreto anathemate percelluntur illi, qui quadragesimale jejunium, aliasque abstinentias ab Ecclesia præscriptas non observant, cum nihil aptius retundendæ carnis petulantia potuerit institui, eo quod id genus dæmoniorum, (ut ad Spiritum dictum Christi referamur) jejunio tamen & oratione pellatur. Si quis igitur Aerianorum errorem mille abhinc annis damnatum, & a Joviniano, Vigilantio, Waldensibus, Wiclefistis, Hussitis, ac novissimis istis diebus a Luthero, & sequacibus suscitatum secutus quadragesimale jejunium, & cetera Ecclesiastica jejunia, vel præscriptas a Patribus abstinentias non observaverit, sacrorum Conciliorum auctoritate anathema sit.

De

Sæcul. XVI.
A. C. 1528.

De Cœlibatu Presbyterorum.

De Cœlibatu Sacerdotum Decretum octavum tractat, ac declarat, quod *Sacerdotio Christi, utpote sublimiori & excellentiori superinductas aliquando fuisse de jure nuptias, exemplo careat, & tanquam ab Apostolis interdictum secundo Carthaginensi Concilio prohibeatur. Neque enim potuit quicquam illo sanctius institui, quo Ministri sacris Altaribus puriores accedant, & jugi pene Sacramentorum administrationi reddantur aptiores. Quisquis igitur Sacerdotes, Diaconos, & Subdiaconos lege cœlibatus non teneri docuerit, aut liberas illis concesserit nuptias, inter Hæreticos numeretur.*

De Votis Monasticis.

Nonum Decretum concernit vota perpetua, & in his potissimum monastica, quæ nullatenus libertati Christianæ adversari ostendit: *Nulla enim major datur libertas, quam cum repressa carnis tyrannide corpus in obsequium Christi traditur, nec tam concupiscentia ducimur, quam Spiritu; ubi enim Spiritus Domini, ibi libertas. Inde ergo concludit Decretum, ejusmodi vota omnino obstringere. Si quis vero secus fecerit, aut hæretica pravitate corruptus secus facere licitum esse docuerit, is velut juris tum divini tum naturalis*
infra

infractor sacrosanctis Conciliis injurius con Sæcul. XVI.
digna per suos Superiores animadversione A. C. 1528.
plectatur.

De Sacramentis.

Decretum nonum de argumento agens damnat eos, qui eorum numerum diminuunt, aut illa gratiam conferendi virtutem non habere affirmant. Postea ad singula descendens de Baptismo inquit, *per hoc lavacrum regenerationis Spiritus sancti, quem effudit in nos abunde per Jesum Christum, justificati gratia ipsius, hæredes sumus secundum spem vitæ æternæ.* De Sacramento Ordinis docet, quod Christus quosdam Sacerdotes & Ministros Christi constituat, proin & cum impositione manuum gratiam conferat. De Sacramento Eucharistiæ inquit, quod realiter verum corpus, & verum Christi sanguinem contineat, illisque, qui hoc Sacramentum digne recipiunt, vitam æternam procuret. De Confirmatione ait: *Christus hoc Sacramentum instituit, ut post Baptisma hoc Sacramento confirmemur ad pugnam, eoque roboremur: cujus conferendi potestas Episcopis a Christo concessa, donum Dei est.* Poenitiæ Sacramentum necessarium esse declarat illis, qui post Baptismum peccarunt: *Illa est secunda*
Hist. Eccles. Tom. XXXV. B b post

Sæcul. XVI post naufragium tabula, quæ salutem operatur, neque enim cor contritum & humiliatum despicit Deus. Confessio autem nec humanum nec recens inventum esse potest, quam Christus Dominus instituit, & præcepit, ac tot tantisque fulcitur Scripturarum oraculis, & per Apostolos ad nos usque deducta, atque ab universali Ecclesia inviolabiliter observata fuit, unde a cunctis Christi fidelibus sectanda. Unctionis vero extremæ Sacramentum Christus apud S. Marcum cap. 6. insinuavit, & S. Jacobus clarius Christi præceptum indicavit: Unde liquido constat, illam etiam ceterorum Sacramentorum instar remissionem peccatorum operari. Denique Matrimonium verum est Sacramentum, per quod conjuges benedictionem cælestem consequuntur. Qui id negat, inter hæreticos habeatur.

De Sacrificio Missæ.

Undecimum Decretum loquitur de Sacrificio Missæ, quod summopere nobis necessarium, tantisque Scripturæ testimoniis roboratum est. Nam Christus accepto pane gratias egit, & fregit, deditque discipulis suis dicens, hoc est Corpus meum, quod pro nobis datur, & ab Evangelicis Sacerdotibus jugi semper observantia præcipit fieri in suam commemorationem. Hoc enim holo-
cau-

caustum, hæc victima pro peccato, hæc ho- Sæcul XVI.
 stia pacifica, hoc iuge Sacrificium, hæc mun- A. C. 1528.
 da oblatio est, quam in omni loco Malachias
 prædixit offerendam, repudiatis legis anti-
 quæ Ceremoniis. Qui contrarium sensisse
 præsumpserit, manifestam hæreseos labem
 incurrit.

De satisfactione, purgatorio, & pre-
 cibus pro defunctis.

Duodecimo Decreto confutatur Luthe-
 rus, qui simul cum culpa semper om-
 nem cuiusvis pænæ temporalis reatum abo-
 leri contendit, purgatorium tollit, & quo
 laicos gravius in Clericorum odium exaspe-
 ret, sacrificia, oblationes, omnesque pro de-
 fundtis orationes recens esse Sacerdotum com-
 mentum impudenter asseverat. Decernit igitur
 Synodus, culpa per pœnitentiam abo-
 lita, frequenter superesse temporalis pænæ
 reatum, velut quasdam peccati reliquias,
 quæ per dignos pœnitentiæ fructus veniant
 expiandæ. Sancta igitur & salubris est co-
 gitatio pro defunctis orare, ut a peccatis
 solvantur, quisquis itaque Catharorum, Ar-
 meniorum, Wiclefi, Bohemorum, Lutheri,
 aut Waldensium exemplo hos errores cum sa-
 cro Constantiensi Concilio non damnavit, hæ-
 reticæ pravitatis pœnas incurrat.

B b 2.

De

Sæcul. XVI.
A.C. 1528.

De cultu Sanctorum.

Tertiodecimo stabilitur cultus Sanctorum, ac declarat Synodus, quod *Sancti preces nostras audiant, nostrisque calamitatibus tangantur, & de nostra felicitate lætentur*, id vero probat ex libro Tobix, per Angelos, qui Abrahamo comparentes pro salute Sodomitarum cum eo deprecabantur, necnon ex ipsis Christi Domini verbis in Evangelio: *Majus erit gaudium in cælo super uno peccatore penitentiam agente, quam &c.*

Neque propterea minus est Christus mediator Dei & hominum, si juxta Aurelianensis Concilii institutionem in litanis ad c. 23. alias 29. aliquos Sanctorum convertamur, Christo tamen accepta ferantur omnia, Sancti igitur nostris afficiuntur incommodis, nostrasque audiunt orationes, illis ergo cultum exhibere, dies festos inscribere, eorumque passionem in Ecclesia palam legere licet.

*Conc. Aurel.
c. 23. alias 29.
de consecr.
dist. 3. cap.
Rogationes.*

De cultu Imaginum.

Decreto decimo quarto stabilitur cultus S. Imaginum, quem nullatenus idolatriam esse declarat Synodus, eo quod nullus Catholicus sanctam Christi venerando Imaginem, aliquod numen illi subesse

esse putat, aut quasi Deum colit, sed ob recordationem Filii Dei, ut in ejus amore recalescat, cujus imaginem videre desiderat. Et nos quidem non quasi ante divinitatem, ante imaginem prosternimur, sed illum adoramus, quem per imaginem aut passum, aut in throno sedentem recordamur, quique Sanctos ad Sanctitatem reduxit. Accedit alia non inferior utilitas, idoneum scilicet indoctæ plebi rudimentum, ut cum Sancti cujusdam imago sese offert, ea velut archetypo propositæ Sanctitatis imitationem & veram utcunque pietatem rudi quadam introductione simplex populus animetur, & dum ad unius imaginis contuitum se colligit, uno obtutu sibi plura proponat, quam diuturna librorum evolutione comprehenderet.

Sæcul. XVI.
A C. 1528.

De libero arbitrio.

Quinto decimo Decreto ita asseritur liberum arbitrium, ut tamen propterea divina non excludatur gratia; quod Pelagianorum error esset. Sed juxta sacram Scripturam eo extenditur, ut voluntas humana misericordiæ prævenientis auxilio suffulta, & interiori quodam & occulto secretioris inspirationis afflatu contexta, sese convertat ad Deum, Deo appropinquet, & ad veram illam gratiam

Sæcul. XVI. *tiam se præparet, quæ tandem accepta sit*
 A.C. 1528. *ad vitam æternam. Neque tamen tanta*
gratiae necessitas libero præjudicat arbitrio,
cum illa semper in promptu sit, nec mo-
mentum quidem prætereat, in quo Deus
non stet ad ostium, & pulset, ut intret
in cor, nec denique tale sit trahentis Dei
auxilium, cui resisti non possit. Frustra
enim Stephanus Judæos duræ cervicis ar-
gueret, qui semper Spiritui sancto resiste-
rent. Frustra Paulus Thessalonicenses ad-
moneret, Spiritum ne extinguerent, si di-
vinis inspirationibus homines inevitabiliter
raperentur. Trahit quidem Deus, sed non
vi, non unco raptamur. Prædestinat, eli-
git, vocat, sed eos demum adultos glori-
ficat, qui in fide & charitate radicati per
bona opera certam suam vocationem, ele-
ctionemque fecerint.

De fide & operibus.

Sextum decimum Decretum agit de fi-
 de & operibus. Lutherus enim ita u-
 nius fidei patrocinium suscepit, ut solam ag-
 noscat, opera rejiciat, & condemnet. Ve-
 rum si recte perpendantur, quæ pro fide pro-
 ducuntur ex Scripturis testimonia, reliquæ
 virtutes non excluduntur, præcipue Chari-
 tas, quam D. Paulus multum extollit. At
 Charitas non est otiosa, sed per bona opera
 jata-

fatagit, ut certam vocationem nostram, electionemque faciat. Non justificat igitur sola fides, sed magis charitas, nec quævis opera peccata sunt, sed eatenus adultis ad salutem necessaria, ut meriti quoque rationem non respuant. Ut denique Synodus hæc Decreta solidis initi fundamentis ostendat, triginta novem errores recenset, qui illis opponuntur, postea vero Principes adhortatur, ut contra hæreticos fidei suæ zelum adhibeant, cujus exemplum ut ipsamet illis exhiberet, omnes in ejus Provincia constitutos, qui tam impia dogmata ausu temerario asserere, docere, vel scribere præsumpserint, sententia excommunicationis innodat, necnon & eos, qui illis auxilium, consilium, aut favorem quovis modo fuerint impertiti. Sub eadem quoque pœna omnibus inhihet, ne Lutheri libros sive Lutheranorum quorumcunque retinere præsumant, qui ad pestilentem doctrinam promovendam conscripti sunt.

Sæcul. XVI.
A.C. 1528.

§. XCII.

Decreta hujus Concilii ad mores, & disciplinam pertinentia.

Eadem Synodus plura adhuc condidit statuta de moribus & disciplina, quæ quadraginta articulis comprehen-

B b 4

dun-

Sæcul. XVI. duntur. Primo statuit: *Frequentandas*
A.C. 1528. *esse preces in Ecclesiis pro tranquillo statu to-*
tius Ecclesie, & Regnorum Orbis Christia-
ni. II. Omnem exactionem pro Sacramen-
torum, aliarumque rerum divinarum admi-
nistracione esse ab Ecclesiasticis summopere
evitandam. III. Decernit, ut Diocesani
suos ad aliquem S. Ordinem non prius pro-
moveant, quam viderint literas testimonia-
les Presbyteri Parochialis cum duorum te-
stium depositione de sufficientia ætatis promo-
vendi, & de probata ac inculpata illius vi-
ta. IV. Nullus ad sacrum Subdiaconatus
ordinem assumatur, nisi sub titulo beneficii,
vel patrimonii saltem viginti librarum Pa-
risiensium; hic tamen titulus non sit confictus,
nec ordinatus illum alienet sine permissione
Episcopi ordinantis. V. Suffraganei lite-
ras dimissorias non concedant petentibus, ni-
si de ætate, literatura, moribus, & beneficio
seu patrimonio prius inquiserint. VI. Si
quos invenerint promotos ante ætatem legiti-
mam, suffraganei eos ab executione Ordi-
num suspendant, usque dum ad legitimam æ-
tatem pervenerint, pariter suspendant, quos
non esse literaturæ sufficientis deprehenderit,
donec in scientia, quæ ordini est requisita,
plene fuerint instructi. VII. In Curia Ro-
mana Ordinatis non permittant executionem
suorum Ordinum, nisi visis diligenter eorum
literis. VIII. Diocesum Episcopi ad Pa-
rochia-

rochiales Ecclesias non instituant præsentatos, nisi eos prius sedulo examinaverint, & tamdiu in beneficio administrent, donec sic instituti literaturam sufficientem assecuti, aut ætatem legitimam adepti fuerint. IX. Collatores, prætermisissis indignis, idoneos assumant, qui vero post correctionem fuerit re-
 pertus culpabilis, a beneficiis conferendis suspendatur. X. Assignentur distributiones quotidianæ pro illis, qui in Ecclesiis Cathedralibus, & Collegiatis divino Officio assistunt. XI. Compellantur Parochi ad personalem residentiam, nisi causa probabili intercedente dispensentur. Item suo gregi annuntient decem præcepta Decalogi, & articulos fidei. XII. Admoneant Curati suos Parochianos, ut frequenter peccata sua confiteantur, & Eucharistiam percipiant, saltem semel in anno, ac tempore infirmitatis, aut ubi instat periculum mortis, vel per diversa loca peregrinaturi. Hortentur etiam eos, ut intersint Missæ Parochiali in diebus Dominicis, & festis. Si vero per tres dies Dominicos neglexerint interesse, denuncient statim promotoribus, ut puniantur. XIII. Statuitur, ut in singulis Parochialibus Ecclesiis non solum dicatur Missa Parochialis in Dominicis, sed etiam divina Officia secundum primam foundationem celebrentur. Inhibet etiam Synodus, ne Capellæ de novo erigantur,

Sæcul XVI.
 A.C. 1528.

Sæcul. XVI. A.C. 1528. *gantur, aut dirutæ reedificentur sine Episcoporum licentia. XIV. Non liceat in Oratoriis privatis Missas celebrare, prætextu dispensationis Sedis Apostolicæ, nisi prius visis ab Episcopo recognitisque dictis literis; nec etiam in diversoriis aut hospitibus erigantur Capellæ, in quibus viatores passim sacrum celebrari faciunt. XV. Ne populus distrahatur a Missa Parochiali, prohibetur, ne in Capellis aliæ Missæ celebrentur, quam quæ de fundatione existierint, nec illæ dicantur, nisi post Missam Parochialem. Suffraganei autem non facile admittant fundationes Capellarum, nec consecrent Altaria portatilia absque necessitate. XVI. Interdicitur omnis actio, quæ minus decet, aut divinum posset perturbare Officium, quapropter cessent conventicula, & profana colloquia, nec Histiones intrent Ecclesiam ad pulsandum instrumenta musicalia, nec deinceps fiat festum fatuorum. XVII. In Ecclesiis psalmodia ea gravitate, distinctoque tono cantetur, ut fidelium devotio excitetur; nec Organicis instrumentis resonet in Ecclesiis impudica, aut lasciva melodia. XVIII. Laudes divinæ tractim cum pausa decenti reverenter persolventur, cum dicitur Gloria Patri &c. omnes consurgant, & ad Nomen Jesu caput inclinent; nullus quoque cum horæ in communi cantantur, le-*
gat

gat privatim officium. XIX. Admonen- Sæcul. XVI.
tur Beneficarii, alique in S. Ordinibus A.C. 1528.
constituti, ut divinum Officium verbis di-

stinctis cum pausa recitent, quiscunque ve-
ro in Ecclesia Divinorum tempore per Ec-
clesiam deambulant, aut cum aliis collo-
quuntur, totius diei distributiones amittant.

XX. Qui in horis quibuslibet ante Glo-
ria Patri primi Psalmi, & in Missa an-
te finem Epistolæ non interfuerint, pro
illa hora absentes, ac distributionibus pri-
vati censeantur. Ubi vero distributiones
statutæ non sunt, omnino de grossis fru-
ctibus deputentur, & Decani aut Præpo-
siti tunc solum præsentibus censeantur, cum
actualiter pro utilitate Ecclesiæ absunt.

XXI. Statuitur, ut singuli Canonici
Ecclesiarum Cathedralium, & Collegiata-
rum post eorum receptionem statim perci-
pian grossos fructus, aliosque suarum præ-
bendarum, nisi ex fundatione prædicti fru-
ctus pro certo tempore aliis Ecclesiis de-
putentur. Damnablem judicat Synodus
consuetudinem esse, qua prædicti fructus
ad certum tempus in utilitatem cedunt jam
antea receptis. Præterea Episcopi statim
post dissolutum Concilium visitabunt Bre-
viaria, Missalia, Antiphonalia, ac Sancto-
rum Legendas, & quæ deprehenderit in
illis non satis convenientia, tollent. XXII.
Abbatessæ, Prioressæ, Priorissæ,
sua

Sæcul. XVI. A.C. 1528. *sua Monasteria in cultu divino, vita, & moribus, & vestimentis reforment, nec Religiosi vel Moniales sine habitu regulari in publicum procedant, Canonici vero Regulares togam lineam ferre teneantur, ne apostasice periculo exponantur; super his per Diocesanos in suis visitationibus diligens fiat inquisitio, & si quid repererint corrigendum omnino corrigant. XXIII. Admonentur Clerici, ne vestimentis sericis foris aut domi utantur, sed modeste incedant, excipientur tamen ex regio vel ducali sanguine orti, quibus ejusmodi vestes deferre permittitur. Ceterum vestitus Clericorum non sit apertus, sed a collo desuper undique clausus. XXIV. Eorum vestes talaris nec nimia amplitudine superflue, nec plus æquo constrictæ, nec frontiatæ sint, aut partitæ, nec caligis diversi coloris, non lunatis seu cornutis, aut nimis fenestratis calceis utantur, nec etiam pannos rubeos aut virides induant juxta Concilium Lateranense, ac denique absint affectatæ sordes æque ac exquisitæ delitice. XXV. In publico non ludant pila aliisque ludis, qui a sorte pendent, maxime cum laicis: non se admisceant choreis, ludis, nec cantantibus lascivas & profanas cantilenas adsint, denique in omnibus honestatem exhibeant. XXVI. Clerici concubinarij, juxta sanctorum Conciliorum*

horum Canones puniantur, contra Cleri-
 cos autem venatores, vel negotiis sæcula-
 ribus implicitos ad pœnam Aurelianensis Con-
 ciliî & Lateranensis procedatur. **XXVII.**
 Juxta Viennense Concilium, si Priora-
 tum proventus nonnisi pro unius Mona-
 chi sustentatione sufficiunt, Episcopus loci
 hunc prioratum viciniore monasterio uniat,
 ne ejusmodi Religiosus solus permaneat.

XXVIII. In Monasteriis Monialium
 tot instituantur Religiosæ, quot de Faculta-
 tibus Monasterii commode sustentari possunt,
 nec pro ingressu aut receptione quicquam sub
 quovis prætextu exigatur. Si quæ tamen
 ultra eas recipi petat, pensio exigi poterit,
 qua cum ceteris Religiosis numerariis alatur.
 Non tamen in locum numerariarum succe-
 dat, sed decedentibus numerariis alie novæ
 & pauperes subrogentur. Provideant eti-
 am Episcopi, ut clausura perpetua ser-
 vetur. **XXIX.** Xenodochia, Leprosaria,
 aliaque hospitalia visitentur, nec eo-
 rum redditus præter fundatorum mentem in
 alios usus convertantur. **XXX.** Synodus
 ita statuit: cum ex multiplicatione Con-
 fraternitatum sæpe monapolia oriri contin-
 gat, atque in crapulam converti videantur,
 sub pœna excommunicationis inhibemus, ne
 aliqui ejusmodi societates erigant sine Epi-
 scoporum consensu. Confratres vero, vel
 Procuratores teneantur Episcopis statuta,
 si

Sæcul. XVI.

A C. 1528.

Sæcul. XVI. A.C. 1528. si quæ habent, afferre, & de quantitate red-
dituum, eorumque usu rationem reddere.

Eligantur singulis annis in Parochiis Procuratores, qui juramentum in initio officii suscepti præstare, & de receptis & solutis rationem expleto officio reddere teneantur.

XXXI. Prohibet Concilium, ne de cetero excommunicationes vibrentur, nisi pro gravi causa, nec decernantur pro injuriis verbalibus, nisi forte atrocioribus: prævia tamen monitione secundum formam juris.

XXXII. Diocesani aut per se, aut Archidiaconos bis in anno saltem Parochias visitent, si fama fuerit Hæreticos ibi habitare, & compellant subditos, ut si quos sciverint, Episcopis indicent, ut puniantur. XXXIII. Synodus inquit: Quia intelleximus libros nonnullos scriptos lingua vernacula impios & scandalosos circumferri, aliis scholia quædam & additiones marginales depravatas adjici, ut eam, quam pollicentur, libertatem obtrudant simplicibus, eosque fallacibus errorum involucris involvant, & in errorum labyrinthum conjiciant, ideo prohibemus, nec deinceps imprimantur, vel vendantur libri sacri, aut sanctorum Doctorum, qui vel de fide aut moribus tractant, sine permissu Episcopi sub pœna excommunicationis. Volumus autem tam salubre statutum, quo ejusmodi libri legi aut retineri prohibentur, per singulas Parochias ter aut quater

quater in anno publicari. XXXIV. Præ-Sæcul. XVI.
cipitur, ne ulli Prædicatores, aut Quæ-A. C. 1528.
siores ad officium prædicationis admittan-
tur a Curatis, nisi ab ipsis Suffraganeis
approbati, & ad hoc nominatim missi sint.
Seligant vero Episcopi viros ætate matu-
ros, moribus graves, & in S. Literis
eruditos, cessent in Concionibus profana-
rum legum citationes, Poetarum auctori-
tates, ridiculi histrionique sermones.

XXXV. Sint Prædicatorum sermo-
nes casti, & alliciant auditores ad ample-
tendas virtutes, non vero populum more
scurrarum, dum ridiculas fabulas recitant,
ad risus excitent, aut ab obedientia Su-
periorum retrahant. XXXVI. Mendi-
cantibus non competat amplior potestas in
absolvendo quam Curatis pro casibus or-
dinariis, nisi fors eis Ecclesiarum Prælati
uberiorem specialiter ad casus reservatos
dederint. XXXVII. Superiores Mona-
stiorum in Ecclesiis suis loco ad legen-
dum apto chartam præsentatorum confes-
sarium nomina continentem affigant, qua-
tenus qui volunt confiteri, sciant, quinam
sint approbati. XXXVIII. Abbates, qui
contendunt sibi competere munus confirma-
tionis, aut calicum consecrationis, de pri-
vilegio suo fidem facere teneantur coram
Episcopo Diocesano. XXXIX. Prohi-
betur, ne in Sponsalibus, aut nuptiali be-
nedi-

Sæcul. XVI. nedictione fiant risus, vel alia ridicula ver-
 A.C. 1528. ba enuntientur. Monentur vero, quatenus
 Sponsi jejuni, contriti, & confessi accedant,
 deinceps benedictio nuptialis non fiat, nisi
 post ortum solis, ac omnes, qui clandestine
 contrahunt, sententiæ excommunicatio-
 nis ipso facto subjaceant. XL. Curent
 Episcopi, ut lascivæ imagines, & veritati
 Scripturæ non convenientes ab Ecclesiis
 tollantur, neve posthac ob miraculum de
 novo factum Capella erigatur, nisi prius
 loci Episcopus, quid agendum, cog-
 nita causa decreverit.



HISTO-